

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Miscellanea Latinitatis et varii argumenti

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

# DAVIDIS RUHNKENII

## MISCELLANEA LATINITATIS ET VARIII ARGUMENTI.

---

EX ANNOTATIONE AD MURETUM (\*), PRAEFATIONE AD SCHELLERUM, ET ALIUNDE  
PASSIM DESUMTA.

---

### A.

*Absque.* M. T. II. p. 599. *Non absque elegantia*] *absque*, pro *sine*, soli Comici dicunt, non Cicero, Caesar, Livius, etc. Vide Vorstium de Latinit. merito suspect. p. 78. Legitur quidem bis terve apud Ciceronem in vulgaribus libris. Sed ibi e MSS. *sine* reponendum esse, docet Fr. Oudendorp. ad Cic. de Inv. I. 36.

*Absurditas.* M. T. II. p. 892. *nimirum unius litterae*.

[(\*) D. R. Notas Grammaticas in Mureti scripta nuper conjunctim ediderunt Viri Doctissimi F. T. Friedemann et J. D. G. Seebode, Miscell. Crit. Vol. I. P. I. (Hildesiae 1822.) p. 67—80, subjectis brevibus Friedemannii annotationibus, quarum non nisi paucas servandas duximus, Viri nomine notatas. Ruhnkenii autem Observationes auximus, eum aliis ex eodem genere, tum varii argumenti, aliunde passim collectis, et in ordinem Literarum digestis: quâ in re cultae Latinitatis et elegantis doctrinae studiosis gratum nos fecisse optamus, et speramus.]

*rulæ mutatio hanc effecit absurditatem*] *Absurditas*, barbarum vocabulum.

*Ac*, ante vocalem. *M. T. I. p. 9. ac opifrice Deo*] *Ac* nunquam ponitur ante vocalem.

*Accedo ad. M. T. I. p. 78. qua proxime divinam Naturam accedimus*] Deest *ad* in Aldina. Quam constructionem defendere licet exemplis apud Drakenborch. ad Liv. IX. 40. Sed magis Ciceronianum est *accedere* cum praepositione, quod Ingolstadienses ediderunt.

*Acceptio. M. T. III. p. 26. Hanc quoque duplicem hujus nominis acceptionem*] *acceptionem nominis*, pro *significatione*, dubito, an idoneus scriptor dixerit. In Siculo Flacco, p. 18. ita capit W. Goesius.

*Accuratio. M. T. I. p. 320. diligentiam et accuratationem requireres*] Malim, *curam*. Est quidem *accuratio* semel apud Ciceronem Brut. 67. Sed semel aut rarissime dictis abstinere, prudentius est, quod saepe accidit, ut talia, melioribus libris inspectis vitiosa reperiantur. Idem intelligi volo de vocabulo *attentio* apud Cic. de Orat. II. 35. quo Muretus usus est saepius.

*Adeptus*. Multa quidem loca, quibus passiva hujus participii significatio confirmetur, in Lexicis afferuntur. Sed pleraque suspecta esse, bene judicat vir melioris Latinitatis peritissimus, Hieronymus Lagomarsinus ad Julii Poglani Epist. T. IV. p. 167. Quod autem a Schellero dicitur, in Cicerone de Senect. 3. omnes fere codices habere, *eandem accusant adeptam*, id longe secus est. Nam idem Lagomarsinus, quo nemo plures Ciceronis codd. et editiones

excussit, in iis magno consensu *adepti* legi testatur, Certior passiva vis est in Sallustio Cat. 7. et Jug. 101. ubi vide Cortium. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Adhibeo* non est *utor*, ut in Lexicis, quae optima putantur, traditur, sed *admoveo*, *advoco*, *assumo*. Ex quo intelligitur, nostros homines singulis prope paginis dicentes, *adhibere vocem*, *adhibere loquendi formulam*, parum Latine loqui. — *Ex Praef. ad Schell.* — *Adhibere fidem*. Vid. *Fides*.

*Adhuc* cum comparativo. *M. T. III. p. 198. Sed tamen lactiorem adhuc — explicationem desiderari*] *Adhuc* cum comparativo Senecae aetas iungebat, non Ciceronis (\*).

*AEGEUS. M. T. II. p. 70. Historia de oraculo quod Peleo redditum est*] Imo, *Aegeo*, quem memoriae lapsus correxit Paulus Leopardus *Emendat. VII. 13.*

*AEGIDES. M. T. I. p. 789. Quidnam erat, Aegiden Jocasta ut natus amaret*] MSS. *Aeneidem*, quod nihili est. Scripsi *Aegiden*, i. e. Theseum. Res nota e Sophoclis *Oedipo Coloneo*.

*Aër*, ut Graecum ἀήρ (*Erotianus Lexico Hippocr. in v.*) ut cognatum *aura*, ut Belgicum *Lucht*, interdum de odore dicitur. *Lucan. IV. 437. odoratae metuentes aëra pennae. X. 167. externa nec perdidit aëra terra.* ubi vide *Burmannum*. Hanc vocis potestatem velut dubitans *Facciolatus* retulit, *Schellerus* prorsus omisit. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Aestimator* et *Existimator. M. T. I. p. 43. bonus —*

ac

[(\*) Cf. Cl. Mahnius *Epict. Bibl. C. it. p. 41.*]

*æstimator eloquentiæ*] Rectius *existimator* scripsisset. Sed nondum Gronov. ad Liv. XXXIV. 2. et ad Gell. I. 3. horum verborum discrimen constituerat. *Existimator* est Judex: *æstimator*, qui pretium constituit, res inter se componit, ut, quid præferendum, quid post habendum sit, intelligat (\*). — *M. T. II. p. 389. vel apud fastidiosos æstimatores potest*] Potius, *existimatores*. Vide quæ notavimus ad. T. I. p. 43.

*Afferre jusjurandum. M. T. I. p. 583. Si quis jusjurandum attulisset*] Potius, *detulisset*, vel, *obtulisset*, ut Jurisconsulti Veteres loquuntur.

*Alias. M. T. III. p. 45. Sursum versum aut alias variato ordine repetentes*] *Alias* apud bonos scriptores pro *alio tempore* dicitur, non pro *alio modo*, vel *aliter* (†).

*Amat dicere. M. T. II. p. 251. amat tamen ipse dicere*] *Amat dicere* Graecismus non usitatus Ciceroni. Sed Sallustius Jug. 34. sic loquitur, ejusque imitatione Tacitus.

*An — an. M. T. II. p. 742. an quod parum latus esset, an quod infirmus*] Duplex *an*, pro *utrum* — *an*, non usitatum est veteribus.

*ANACHARSIDIS sententia. M. T. I. p. 289. Anacharsis — invitatus ad audiendum quendam, qui mi-*  
*ri-*

[(\*) *Existimatorem* et *judicem* conjunxit Cic. de Fin. III. 2. ubi conf. Goerenz. p. 315. qui ad hanc Ruhnkenii animadversionem non respexit. FRIED.]

[†] Pluribus id ostendit, V. Cl. in Schol. ad Terent. Andr. III. 2, 49.]

*rifice luscinae cantum imitabatur, aspernatus est, veras sibi luscinas saepe auditas esse dicens.*] Anacharsidii an veteres hoc dictum tribuerint, non vacat quaerere. Agesilao tribuit Plutarchus Apophthegm. p. 191. B.

*Animalculum.* M. T. II. p. 971. *minimo animalculo, muri*] *Animalculum*, forma incognita veteribus.

*Animare.* M. T. I. p. 158. *nostros animaret*] *animare* aliquem pro *incitare, incendere*, Gallicismum sapit.

*Annus* saepe est annuus proventus, annona. Petronius Fragm. p. 682. *Grandine qui segetes et totum perdidit annum.* Lucan. III. 70. *Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.* ubi vide Oudendorpium. Nihil de hac significatione, poetis usitata, apud Schellerum. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Anterior.* M. T. II. p. 924. *ut vir quidem anteriorem — — lectuli sui partem apprehenderet*] *Anterior*, vox cadentis Latinitatis. Vide Cellarium Cur. Post. p. 155.

Ἄρτεμις, Ἄτρεμις, *Dianae nomen.* — Marmor Laconicum apud Cyriac. Anconitan. Epigr. p. 40. et Murator. Inscript. p. 645, 4. ΔΑΜΟΚΛΕΙΔΑΣ ΧΑΛΕΑ ΕΠΙ ΑΛΚΙΠΠΟΥ ΝΕΙΚΑΣΑΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΚΟΝ ΚΕΛΗΔΑ ΤΡΕΜΙΤΙΟΡΘΕΡΑ. Muratorius inscite, ut pleraque, vertit: *Damoelidas Chalea sub Alcippo vicit in puerili certamine Celedem Tremithortherum.* negans, se discernere posse, utrum duae postremae voces equum, an hominem significant. Plus Muratorio vidit doctissimus vir, Ed. Corsinus Diss.

V. post Not. Graec. p. 94. Nam ΧΑΛΕΑ bene interpretatur *Chaleae filium*, et ΚΕΛΗΔΑ, quamvis nihil mutans, recte capit de *celete* vel *equo singulari*. Sed quod in ΤΡΕΜΙΤΙΟΡΘΕΡΑ conjicit *artificis* nomen latere, longissime a vero aberrat. Nemo dubitet, quin in marmore sic scriptum fuerit: ΔΑΜΟΚΛΕΙΔΑΣ ΧΑΛΕΑ ΕΠΙ ΑΛΚΙΠΠΟΥ ΝΙΚΑΞΑΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΚΟΝ ΚΕΛΗΤΙ ΑΤΡΕΜΙΤΙ ΟΡΘΙΑΙ. Ἐπι Ἀλκίππου, sub *Alcippo*, Ephoro apud Lacedaemonios ἐπωνύμου, qui suo nomine annum signabat, ut primus Archon Athenis. Vid. Museum Veronens. p. 15. et ibi Scip. Maffium. Νικάξας forma est Doribus Laconibusque propria. Mutatione ΚΕΛΗΔ in κέλητι nihil facilius et certum magis. Pindari Olymp. Oda I. scripta est Ἱερῶν Συρακουσίων κέλητι, *equo singulari victoriam adepto*. De hoc ipso Hierone Epigr. apud Pausan. VIII, 42. Σὺν ποτε νικήσας, Ζεῦ Ὀλύμπιε, σεμνὸν ἀγῶνα Τεθρίπῳ μὲν ἄπαξ, μονοκέλητι δὲ δις. Asclepiadae Epigr. apud D'Orvill. ad Charit. p. 158. Νικήσασα κέλητι Φιλαινίδα τὴν πολύχαρμον. Κέλης a prisco verbo κέλω, *monco*, proprie est *equus celer*, *velox*, deinde in certamine equestri *equus singularis*, *solitarius*. *Eques* etiam, tali equo vectus, κέλης dicitur: unde ab Aeolico κέληρ *Celeres* vocati sunt equites, quos Romulus instituit. Vid. Hesych. Suid. Eustath. ad II. O, p. 1038. H. Vales. ad Sotomen. H. E. VI. init. et in Mauss. Not. ad Harpocrat. p. 23. ut alios praeteream. Latini equitem, voce ab eodem κέλω vel *cello* ducta, *celsum* appellant. Erudite Festus: *Celsus*, a Graeco κέλης, *eques dictus*. Glossae Philoxeni: *Celsus*, ὑψηλός, μετέωρος,

καὶ κέλῃς. Sic corruptum κῆλιν bene emendat Vulca-  
nius. Equum etiam singularem *celsum* dictum esse,  
scribit Vir quidam eruditus, laudans pro hac opinio-  
ne Petavium ad Themist. Or. XVIII, p. 482. Sed  
ille, quae Petavius de *equite* dixerat, perperam de  
*equo* accepit. *Calsi* in genere dicuntur omnes equi-  
tantes. Statius Theb. VIII, 563, *Nunc pedes ense  
vago, prenis nunc celsus habenis*. Vetus poëta apud  
Mallium Theod. de Metris p. 30. *Celsus equo, Phoeni-  
cia veste nitens, ibat Arion* (\*). Sed propria quadam  
ratione sic dicuntur equites Romani. Saepe laudatus  
est Horatius A. P. 342, *Celsi praetereunt austera  
poëmata Ramnes*. ubi vid. Lambin. Statius Sylv. I,  
4. 42. *Pompejo nec celsus eques, nec femina Bruto*.  
Sylv. II, 7. 46. de conjectura sagacissimi Marklan-  
di: *Et celsos equites, et eloquente Cantu purpureum  
trahes Senatam*. Vid. J. Fr. Gronov. Diarr. Stat. c.  
32.

(\*) Quem locum postea eximia hac animadversione il-  
lustravit Vir Cl. ed. Heusing. p. 44:

*Celsus equo*] Ut Virgil. Aen. XII. 295. *altus equo*. *Cel-  
sum* proprie de *equite* dici, exemplis demonstravimus ex ex-  
plicatione marmoris Laconici, quam animadversionibus in Co-  
rinthum p. 140. inseruit doctissimus Koenius. *Equum* poëta  
appellat delphinum, quo vectus est Arion: nisi quid praeces-  
serit, ad quod illa vox referatur. Aelianus *H. A.* VI. 15. ὁ  
παῖς ἀναβαίνειν τὸν δελφίνα, ὡς πᾶλον ἰππότις. Ibid. κα-  
λὸς παῖς ἰππεύων ἐπὶ δελφίνος ἦν. *Phoenicia vestis* est palla  
purpurea, propria citharoedorum. Ovidius *Fast.* II. 107. de  
hoc ipso Arione: *Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam*.  
ubi vid. Interpretes. RUHNK.



32. et Drakenb. ad Sil. Ital. XVII, 126, Satis de *celete*. In ΑΤΡΕΜΙΤΙ duplex observandus est Laco-  
nismus, Ἀτρέμιτι pro Ἀρτέμιτι, sede binarum litera-  
rum mutata, et Ἀτρέμιτι pro Ἀρτέμιδι. Eustath. ad  
Od. I, p. 1618. κατὰ τὴν παρὰ Ἡρωδιανῶ Ἀλκιμανικὴν  
χρήσιν καὶ Ἀρτέμιδος Ἀρτέμιτος, οἶον Ἀρτέμιτος θερά-  
ποντα. Denique notissima est Ἀρτεμις Ὀρθία vel Ὀρ-  
θωσία, apud Lacedaemonios culta, ad cujus aram nudī  
pueri flagellis, prope ad necem, caedebantur, ut  
Spartanae nobilitatis in plagis concoquendis specimēn  
darent. De hac Dea quicquid ex utriusque linguae  
scriptoribus collegeram, occuparunt Jo. Meursius  
Graec. Feriat. v. Διαμαστίγωσις, Th. Munckerus ad  
Hygin. Fab. 261. et Jo Grammius in Xenophonteis  
p. 24. quibus adde Magnum Hemsterhusium ad He-  
sych. v. Φουαέξιερ. Apud Sponium Misc. erudit. An-  
tiqu. p. 88. fragmentum est lapidis Thyatireni cum  
hac inscriptione: ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΟΡΕΙΤ. ubi, ne quis  
ΟΡΘΙΑΙ restituumdum putet, scribendum est ΟΡΕΙ-  
ΤΙΔΙ, a feminina forma ὄρειτις, i. e. *montanae*, ut  
Sponius etiam exponit. Euripid. Iphig. in Taur. 126.  
Ἦ παῖ τῆς Λατοῦς, Δικτύον, οὐρελα. *Montium domina*  
dicitur a Catullo XXXIV. 9. aliisque. — RUHNKEN.  
ad Gregor. Corinth. de Dial. ed. Koen. p. 140—142.

Assero, pro dico. M. T. II. p. 803. *Interpres*  
*Theocriti alicubi asserit]* Asserit, pro dicit, affir-  
mat, minus Latinum esse docet Sciopp. de Stil. Hist.  
p. 194.

Augurat. M. T. I. p. 642. *Magnum mihi aliquid*  
*de te semper augurat.]* Checcotius locum asterisco  
notavit. Forte excidit *animus*.

*Aura popularis.* M. T. II. p. 636. *Ob inanem popularis suspicionis auram* ] Non dubito, quin Murætuſ scripserit: *ob inanem popularis auræ suspicionem.*

## B.

*Bibitus.* M. T. III. p. 65. *quæ esui ac bibitui sunt* ] Substantivum *bibitus* inauditum.

## C.

*De CALIGULA dictum.* M. T. III. p. 377. *Tiberium Caesarem ita mutatum esse adepto imperio, accepimus, ut dictum sit ab historicis, eo neque meliorem servum, neque deteriorem dominum unquam fuisse* ] Imo, *Caligulam.* Vide Suetonium in ejus vita.

*Canifico.* Huic verbo eleganter composito locus dandus erat in Lexicis. Vetus poëta apud Atilium p. 269I. 40. *Nec mare canificat, nec agit freta caerulea.* Sic legendum. — *Ex praef. ad Schell.*

*GUIL. CANTERUS.* M. T. II. p. 445. *Esse in Belgis hominem eruditissimum* ] Intelligit, ni fallor, Guilielmum Canterum, qui paucis ante annis praeclare de Athenaeo meritus erat, insigni ejus lacuna e MSS. explenda, Nov. Lect. III. 31.

*Casse.* Hoc vocabulum, tanquam probum, pro frustra, affertur ex Livii XXIV. 26. loco corruptissimo, qui Gronovii et aliorum interpretum ingenia vehementer torsit: *aversis auribus animisque, casse ne tempus tereretur, ferrum quosdam expediētes cer-*

*nebat*. Repone, quod sententiae vis postulat: *aversis auribus animisque, quasi tempus tereret, ferrum* etc. *Quasi* ubi semel in *casae* abiisset, reliqua interpolata sunt, ut qualiscunque sensus efficeretur. Et *quasi* tam facile in *casae* mutatum est, quam apud eundem XXV. 3. *quassae naves* in *cassae naves*, praesertim si corruptela orta est tum, cum adhuc in Livio *quase* pro *quasi* legebatur. Hanc enim orthographiam Livio propriam fuisse, testis est Quinctilianus I. 7. p. 44. *Quassei* pro *quasi* saepe in lapidibus antiquis legi, docet Mazochius de Campan. Amphith. p. 153. Certe *casae*, unde male pedem intulit, abeat. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Causa, quamobrem*. Hodie fere dicunt, *quaerebat causam, ob quam*; sed veteres dicebant, *quaerebat causam, quamobrem, vel cur*. Sic etiam dicebant: *quid est, cur; quid est, quare; quid est, quamobrem*. Vid. Hadrian. Card. de Serm. Lat. p. 367. — *Ex Schol. ad Terent. Andr. V. 5, 30.*

*Cellarii. Sellaria*. M. T. I. p. 305. *Itaque nihil apud Suetonium frequentius legas, quam exoletos, et spintrias, et cellarios*] *Sellariam*, vel, ut Oudendorpio placet, *sellaria* commemorat Suetonius Tib. 43. non *cellarios*.

*Cernere est*. M. T. I. p. 62. *Arbores — quarum in ramis toto anni tempore cernere est — fructus*] Hic Graecismus poetis proprius est, non orationis prosae scriptoribus.

*Ceterum. Ceterorum*. M. T. I. p. 88. *Sensus — quorum tactus in omnibus est animalibus, ceterum alii*

*in aliis desiderantur*] Muretus in marg. Aldinae bene correxit *ceterorum*.

CICERONIS *Epp. ad COELIUM*. M. T. I. p. 559. *Ut illius (Ciceronis) ad Coelum, sic tuus ad Muretum liber exstabit*] Aptior esset comparatio, si, ut Coelii ad Ciceronem, sic etiam Ciceronis ad Coelum epistolarum liber exstaret. Nunc liber II. ad Diversos paucas tantum ad Coelum Epistolas habet, easque aliis ad Curionem, Caninium, Thermum, etc. admixtas.

CICERO. CASSIUS. M. T. II. p. 290. *Ut Cicero alicubi loquitur, gladio ἀντιμυκτηρῆσιν*] Imo, Cassius ad Div. XV. 19.

*Circa*. M. T. III. p. 271. *quamquam circa illas quoque vide exemplum*] *Circa* hac potestate, non est aetatis optimaе.

*Coaevus*. M. T. II. p. 47. *qui ejus coaevus fuit*] *Coaevus* vox minus Latina, iudice Lambino in Epistola ad Muretum, Op. M. T. I. p. 398.

*Cognitio. Cogitatio*. M. T. I. p. 347. *Sed neque animus ulla in cognitione conquiescere hoc tempore facilius potest*] Non dubito, quin Muretus scripserit, *cogitatione*. — M. T. I. p. 824. *nam meum non est — illam cognitionem suscipere*] Scrib. *cogitationem*.

*Collimo. Collineo*. M. T. II. p. 425. *Sed ne optimi quidem jaculatores semper collimant*] Scioppius Rhetor. Exerc. p. 17. „Hujus porro generis nova „apud Muretum sunt: *ne optimi quidem jaculatores „semper collimant, pro collineant*. quod non est, ferre „*re destinatum, sed dirigere telum*.” Haec reprehendit

hensio quam inanis sit, intelligitur e Cicerone de Divin. II. 59. *Quis est enim, qui totum diem jaculans non aliquando collimet?* Sic Ernestus e libris suis edidit. Alii *collineare* praeferunt, ut Fr. Oudendorp. ad Appulej. Met. IX. p. 675. Utrum verius sit, in pari veterum librorum auctoritate, nemo facile decernat.

*Colobon.* — *Metrum jambicum senarium Colobon*] *Colobon* scribendum esse, satis apparet ex aliis Grammaticis. Vide Diomed. III. p. 507. 508. et 511. Mar. Victorin. *Art. Gramm.* I. p. 2504. Bedam de *Metris* p. 2379. Idem quod in Mallio mendum, occurrit in Grammatico MS. de *Metris*, qui in Bibliotheca Leidensi: *Brachycatalecti dicuntur in jambis et similibus, quibus desunt syllabae una, aut duae, ut senarium jambicum colofon.* Ubi ne librari potius, quam auctoris errorem putemus, facit id, quod mox inepte addit Grammaticus: *Colophon, inventor et utens hoc metro.* RUHNKEN. ad Mall. Theod. de *Metris* ed. Heusing. p. 30.

*Commodo.* Jure negat Facciolatus Anim. crit. in *Lexica* p. 127. *commodare* a bonis scriptoribus usurpatum esse de pecunia, aliisque rebus, quae non redduntur eadem, et Plauti, Ciceronisque loca, quae praeter alios Burmannus attulit ad Phaedrum I. 17. 3. perperam huc trahi docet. Quam animadversionem, in ejusdem Lexico repetitam, tametsi Schellerus legerat, tamen *commodare* sic accepit in Livio XXIII. 48. *ut reipublicae, ex qua crevissent, ad tempus commodarent.* At Dukerus pulchre vidit, hic

quo-

quoque significare, ut reipublicae commodo consulere-  
rent. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Commodato dare.* M. T. II. p. 416. *quorum unum  
mihi commodato dederat Alexander Glorierius*] Mure-  
tus scripsit, certe scribere debuit, *commodaverat.*

*Communicare cum Dativo.* M. T. I. p. 661. *Ea  
igitur cum haud ita pridem amicis quibusdam meis —  
communicassem*] Muretus cum aliis deceptus est  
corrupta lectione Caesaris de B. C. III. 18. *quibus  
communicare*, ubi viri docti dudum restituerunt, *qui-  
buscum communicare.*

*Compleo, conficio.* Caesar de B. C. III. 46. *his  
rebus completis, legiones reduci iussit.* Sic Lexica no-  
stra. At Marklandus Explicat. Veter. Auct. p. 273.  
scribit: *his rebus confectis*, quod postulat perpetua  
Caesaris consuetudo. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Concurro.* Exquisitior loquendi forma, *os concu-  
rit*, in qua Burmannus ad Quinctil. XI. 3. p. 1025.  
haerebat, a Schellero minus recte iratis tribuitur, et  
*labra commordentur* explicatur. Rectius formulae  
vim tenuerunt Gesnerus ad Quinctil. X. 7. p. 528.  
et Faceiolatus Anim. crit. in Lexica p. 134. — *Ex  
Praef. ad Schell.*

*Concursus.* M. T. I. p. 79. *Quin ejus concu-  
sum dirum sibi putet.*] Muretus *occursum* scripse-  
rat. *Ex Add.*

*Conformare mores.* M. T. I. p. 60. *ut eam Phi-  
losophiae partem, quae ad confirmandos mores — perti-  
net*] Muretus in margine Aldinae bene correxit *con-  
formandos.*

CONSTRUCTIO reprehenditur. *M. T. II. p. 118. Aeneae autem, propter singularem ipsius pietatem, eos potius, quam cuiquam alii, apparuisse, credibile est*] Hujus loci constructionem reprehendit Lambinus *E. pistol. laud. p. 399. — rarior. M. T. IV. p. 611. Quem honorem habuit Caesar τῷ μακκαρίῳ Paulo Manutio, idem, ut mihi quoque habeatur, quod ostendis facile per te, et per Matthaei Stufii patrem impetrari, si velim posse: respondebo tibi aperte, et breviter.*] Post hoc verbum *habeatur* Amadutius supplet *gaudeo*, quod est contra Latinitatem. Nobis nihil deesse videtur, si ita interpungatur, ut fecimus. — *ad sensum. M. T. I. p. 106. Quo deligere neminem poterat, in quo plus inesset vel fidei vel auctoritatis.*] Constructio ad sensum, non ad grammaticam rationem, relata. — *Subjunctivi. M. T. I. p. 40. Sunt qui... fieri tamen negant posse*] Imo, *negent (\*)*. — *M. T. I. p. 331. quo uti homines multis abhinc sacculis desierunt*] Constructionis ratio postulat, *desissent*. — *Singularis. M. T. I. p. 164. Eamdem in victu cultuque parcimoniam retinuit, quibus a principi-*

[(\*) Est hoc praeceptum Ernesti, nec tamen plane probatum Heusingero ad Ciceronem de Officiis: cf. in hujus libri censura Cl. Wytttenbach, *Bibl. Crit. P. VIII. p. 59*. Schellerus item, quamquam plerumque Ernestum secutus, nonnunquam aliter statuit, defendi posse contendens formulam *sunt — qui dicunt*. Vid. ejus *Introductio ad Interpretationem Auctorum Classicorum, Versionis Belgicae p. 375*, ed. nov. ibique annot. Editoris. Eadem lis Ernesto fuit cum Heusingero de formula *non habeo, quid dicam, caet.*]

*pio se — assuefecerat*] Melius est, quod Muretus in marg. Aldinae reponit, *cui a principio.*

*Contraria.* M. T. III. p. 489. *quae sunt illis contraria*] *Contraria* cum Cicerone appello, quae barbari *opposita.*

*Convertere. Convellere.* M. T. III. p. 259. *ut oratio nostrā ipsa se conficere, atque convertere, — videatur*] Forte scripsit *convellere.*

*Cordatus.* M. T. II p. 693. *gravi et cordata oratione*] *cordata oratio*, vereor, ut Latine dicatur.

*Cum.* Nullo in Lexico annotatum reperi, quod M. A. Muretus pulchre monuit ad Catull. p. 864. praepositionem *cum* habere vim indignationis significandae. Plautus Epid. I. 1. 33. *Abi in malam rem maximam a me Cum istac conditione.* Mostell. II. 2. 33. *Dii te deaeque omnes faxint cum isto omine.* Livius V. 27. *scelestus ipse cum scelesto munere venisti.* — *Ex Praef. ad Schell. (\*)*.

*Cursus orationis.* M. T. I. p. 24. *eo mihi amplior et patientior orationis quasi cursus ostenditur.*] Pro *patientior cursus* exspectasses *patientior campus.* Sed quoniam metaphora ab itinere maritimo ducta est, *cursus* pro *campus* dicere maluit, imitatus Ciceronem pro Planc. 7. *Plancium non obrepisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus hoc nostro equestri loco.* Cujus tamen loci dispar ratio est.

*Da*

[(\*) Plura vid. in Schol. ad Terent. Andr. V. 4, 38.]



## D.

*Datur sperare.* M. T. IV. p. 599. *Quod quando sperare non datur*] Sic poëtae loquuntur, non Cicero, aut ejus aequales: nisi forte sic accipias in Cicerone de Orat. II. 25.

*Depraedicare.* M. T. I. p. 276. *praestantes viros laudare ac depraedicare*] Compositum *depraedicare* inauditum Latinis est. Vide Cellar. Cur. Post. p. 335. Erasmus primum hoc verbo usum esse putat Moneta ad Menag. T. III. p. 387.

*Deprehendi.* M. T. II. p. 967. *deprehensi enim sunt, qui*] *Deprehensi sunt*, minus proprie pro, *reperiti sunt*.

*Deterrimus.* M. T. I. p. 10. *morti denique deterrimae, atque acerbissimae exposuerit*] Imo, *teterrimae*. Si Muretus quod vulgatur scripsit, vitiosae Veterum scriptorum Editiones, in quibus hae voces saepe confunduntur, ei fraudi fuerunt. Vide Drakenborchium ad Liv. IV. 3.

*Dexteritas.* Videndum est, an hoc vocabulum, sicut Graëcum *δεξιότης*, recte tribuatur ei, qui apte et solerter agit omnia. Equidem, cum nullum hujus potestatis exemplum apud bonos scriptores reperir, prope adducor, ut credam, Latinorum usum *dexteritas* ad hanc unam partem flexisse, ut significaret *ingenium*, vel *artem ad promerendam omnium voluntatem*: quibus verbis Suetonius Tit. 1. eandem virtutem expressit. Livius XXVIII. 18. *Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia natura-*

*lis ingenii dexteritas, ut non Syphacem modo, barbarum insuetumque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum, facunde alloquendo sibi conciliaret. ubi mox, variata oratione, dexteritatem vocat artem ad conciliandos animos. Sæpe igitur cum comitas et humanitas conjungitur. — Ex Praef. ad Schell.*

*Diripere temeritatem. M. T. I. p. 28. Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere] Sic scripsit, mendosas Ciceronis Editiones secutus, de Finib. I. 13. omnium falsarum opinionum temeritate direpta. Sed optime Davisius e MSS. revocavit veram lectionem, temeritate dempta (\*).*

*Discussâ caussa. M. T. I. p. 145. Caussa discussa] pro, caussa cognita, cadentis, vel potius jacentis Latinitatis est. — E Praef. ad M. T. IV. p. IX. supra horum Opusc. p. 683.*

*Dissidium. Discidium. M. T. I. p. 33. exitiale quasi corporis et animi dissidium inducere] Potius, discidium. Sed hoc discrimen ignorabatur ante Gronovium ad Liv. XXV. 18. (+).*

*Dissitus. M. T. II. p. 888. regiones tantopere ab Aquitania dissitas] Dissitas, pro disjunctas, barbarum*

[[(\*) Brems et Goerenz rectius, opinor, edidere *derepta*. FRIED. Sic jam ediderat Ernesti in Ed. a. 1756, in postrema dempta recepit.]

[(+) Discrimen sic explicat V. Cl. in Schol. ad Terent. Andr. IV. 2, 14, ut *dissidium*, a *dissidendo*, sit dissensio voluntatis et animorum: *discidium*, a *discidendo*, separatio corporum, atque adeo divortium. Cf. item Friedemannii annot. ad h. l.]

tum est. Vide Scioppium de Stil. Hist. p. 186.  
et Cellarium Cur. Poster. p. 215.

*Distantia*. M. T. I. p. 128. *propter locorum distantiam*] Meliores scriptores potius dicunt *intervalum*.

*Ditio*. M. T. I. p. 14. *aliquae deinceps innumerabiles eorum vestigia secuti Christianae dittonis terminos ampliaverint?*] *Ditio* apud veteres nihil est, nisi potestas, imperium. Sed ut *imperium* pro regno vel republica dicitur, sic etiam *ditio*, cadente Latinitate, pro regione vel regno dici coepit. Claudianus de II. Cons. Stilich. 160. *nec terminus unquam Romanae dittonis erit*. Vide Vossium de Vitiis Serm. VI. p. 322. et Cellar. Cur. Poster. p. 337. Hoc igitur Mureto ex inferioris aetatis lectione surrepsit.

*Dosias Arae auctor*. M. T. I. p. 259. *Ara ejus (Theocriti) putatur esse, cum ex Luciano constet, eam esse Dosithei*] *Dosiadis* scribere voluit. Vide Lucianum Lexiph. p. 350. et Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. p. 447. (\*).

*Durissima nox*. M. T. I. p. 222. *illum durissima illa ac plenissima pavoris nocte ter abnegavit:*] *Potius, dirissima.*

## E.

*Effreno. Efero*. M. T. I. p. 201. *quos armorum vis*

[(\*) De hac Dosiadis ara, et Holoboli in eam scholiis, nota sunt, quae eruditissime scripsit Valckenaerius Diatr. Eur. C. XII. p. 130 sqq.]

*vis magis ac magis usque adhuc effrenavit*] Muretus haud dubie scripsit, *effervit*.

*Eluceo, esco. M. T. I. p. 232. ut potestas Dei tanto magis elucescat*] *Eluceo* Latinum est, non *elucesco*. Vide Interpretes ad Lactant. VII, 14.

*ERATOSTHENIS de Homero judicium. M. T. I. p. 28. Eratosthenem quendam fuisse ajunt, qui poetice ita contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret.*] Nullo modo credibile est, Eratosthenem, excellentis doctrinae virum, et eundem, quod imprimis ad rem pertinet, poetam talem, ut Longinus Π. Τ. §. 33. ejus Erigonem ποιματιον δια πάντων ἀμώμητων appellet, aut poësin, aut Homerum contempsisse. Ego vix dubitem, quin haec Mureti criminatio fluxerit ex male intellecto loco Strabonis I. p. 32. 35. 45 seqq. ubi Eratosthenes Homerum reprehendit, non loquacitatis nomine, sed quod omnia ad legentium voluptatem referens, non pauca fixerit Geographiae et Historiae repugnantia.

*Erroneus.* Hanc vocem iis, qui nunc Latine scribunt, valde tritam, unus e bonis scriptoribus habet Columella VII. 12. *Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei, sed assidui.* Quid? si hic quoque cum melioribus scripserit: *nec erronei, sed assidui.* — *Ex Praef. ad Schell.*

*Erumpere in vocem. M. T. II. p. 530. Catilinam in eam vocem denique erupisse*] *Erumpere in vocem, prorumpere in verba*, cadente Latinitate dici coepit. Vide Cellarium Cur. Poster. p. 195.

*Est, ut dico. M. T. I. p. 317. Ita est profectio, ut dicam, auditores*] Imo, *ut dico*.

Εὐεκτικός. *M. T. III. p. 502. εὐεκτικὸν quoque erit id quo efficitur bona habitudo*] Εὐεκτικὸν uno vocabulo Latino exprimi non potest: at si in plura diducas, vis argumenti perit.

*Eychor. M. T. I. p. 24. Equidem quo longius in altum invechor*] Ingolstadienses bene correxerunt *eychor*. Sic enim veteres loquebantur. Exempla sunt apud Drakenborch. ad Liv. XXXVII. 23.

*Exarmo*, dentibus et unguibus spolio, mansuetum reddo. Hic laudandus erat Manilius IV. 235. ex verissima Bentleji emendatione: *Exarmare tigres, rabiemque auferre leoni*. Sic etiam in libri margine corripuit Hemsterhusius, miratus, Scaligerum, qui verbi *exarmare* elegantiam recte teneret, tamen vulgatum *exorare* praeferre potuisse. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Excussabilis*. Monstrum vocis, tanto minus in Lexica recipiendum, quod non ex editione aliqua veteri, sed ex mera Scaligeri conjectura obtrusum est Manilio II. 593. ubi Bentlejus omnium librorum lectionem restituit: *Quantum onus invidiae non excussabile terris?* — *Ex Praef. ad Schell.*

*Exoro*. Nova et insolens vis huic verbo tribuitur ex Justino IX. 7. *ut Philippus aegre sit a filii caede amicorum precibus exoratus*, i. e. deterritus a filii caede. At si viri docti Variantes apud A. Gronovium inspexissent, vera lectio *revocatus*, quam vel sine Codicibus assequi facile erat, in eorum oculos incurrisset. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Expanditor*. Plinius Paneg. 30. *Vagus ille expanditor amnis*. Quid caussae esse dicam, quare tam barbara vox in Lexicis relicta sit, cum in bonis li-

bris recte legatur: *Vagus ille, cum expanditur, amnis.*  
Vide Schwarzium ad h. l. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Expressio.* M. T. I. p. 411. *ut omnis illius ( amoris ) expressio, quasique professio pergrata mihi, perque jucunda sit ] Expressio insolens hoc sensu. — M. T. I. p. 644. cum vetus consuetudo esset, ad majorem expressionem, congerendi verba, quae idem valerent; ] Magis Latine scripsisset significationem.*

*Extrario.* M. T. II. p. 701. *extrario, quam vocem ego quidem Latinam non puto ] Latinam esse, ostendimus ad Rutil. Lup. I. p. 43.*

*Extreme.* M. T. III. p. 860. *extreme senex ] Forte scripsit, extrema senectute. Extreme quidem non est forma Latina.*

*Exvelo.* Propert. III. 13. 3. *Ut mihi praetextae pudor exvelatus amictu.* Sic a Scaligero editum est contra libros veteres, in quorum plerisque legitur, *est velatus*, quod nec ipsum explicari potest. Ego cum Laur. Santenio, viro in poëtis Latinis excellenter versato, non dubitarim legere: *Ut mihi praetextae pudor exsinuatus amictu.* Quod liquido confirmat imitatio incerti poëtae Anthol. Lat. T. I. p. 700. *Huic dum virgineus pudor exsinuatur amictu.* Certe *exvelo* e Latini finibus proscribendum. — *Ex Praef. ad Schell.*

## F.

*Facinus. Flagitium.* M. T. II. p. 126. *utpote quos necessario habeant assiduos suorum facinorum testes ] Latina consuetudo postulat flagitiorum, ut recte*

ete animadvertit Lambinus in epist. laud. p. 399.

*Facio.* Hic frustra quaesivi formulam Comicis usitatam, *factum alicui velle*, pro bene velle, favere. Terent. Adolph. V. 7. 21, *cum te video nostrae familiae Tam ex animo factum velle*. Vim formulae explanarunt Casaubonus ad Appulej. Apolog. p. 166. Salmasius ad Tertullian. Pall. p. 120. in primis Gronovius ad Gell. VII. 3, quem si Schellerus adhibuisset, non, opinor, in Terentio *factum* pro *facere* positum v. *Volo* dixisset. — *Ex Praef. ad Schell. (\*)*.

*Fastigiare.* M. T. II. p. 282. *eaque fastigiarent*] Rectius, *fastigarent*. Vid. Drakenborch, ad Sil. It. V. 50.

*Fero.* Neque hic, neque in vocibus *dico*, *nego*, *trado*, *voco*, ullam reperi explicationem poeticae rationis, qua *feror esse*, vel simpliciter *feror*, pro *sum*, et *negor esse*, vel simpliciter *negor*, pro *non sum* usurpatur. Eam loquendi formam multis exemplis planam fecit Marklandus ad Stat. Sylv. V. 1. 33. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Ferre ad populum.* M. T. IV. p. 9. *qui — ad populum, quae ex usu erant, referrent*] Latinitas postulat *ferre ad populum*, *referre ad Senatum*. Nec moveor exemplis, quae pro *referre ad populum* attulit Ernestus Clav. Cic. v. *Referre*. Mox etiam Murætius minus proprie scripsit, *populus leges ferebat*, pro *jubebat*.

*Fidem habeo, adhibeo.* M. T. III. p. 544. *neque ei fidem habendam negat*] Bene, *fidem habere*.

In

[(\*) Idem monuit V. Cl. ad Terent. l. 1.]

In notis ad Catull. T. II. p. 847, dixit, *fidem adhibere*, quod barbarae aetatis est. Vide Scioppium de Stil. Hist. p. 84. et Drakenb. ad Liv. XXII. 1. (\*).

*Figmentum*. M. T. I. p. 19. *ut jam Sirenium vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento, quid tandem aliud doctissimi homines — indicarunt? ]* Vox *figmentum* non habet idoneum auctorem. Vide Scioppium Infam. Fam. p. 111. et de Stil. Hist. p. 167.

*Foras patere, spectare*. M. T. II. p. 936. *Vir- tus — quae foras patet ]* Rectius scripsisset, *foras spectat*, ut Cicero, quem imitatur, apud Non. Marcell. p. 373. *Justitia foras spectat, et projecta tota est, atque eminent.* Est etiam in his verbis imitatio alterius loci Ciceroniani apud Nonium p. 299. *Quae virtus praeter caeteras totam se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat.* Mox illa, *ut in te laudando propriam sibi quandam ipsi gloriam quaerere videantur*, expressa sunt ex his Ciceronis ad Div. V. 12. *Neque ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari velim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenti gloriam consequatur.*

*Frui* in re amorum dicuntur, qui libidinem suam explent. Terent. Heaut. II. 3. 104. *datur. fruare, dum licet.* Vide Dukerum ad Florum IV. 11. 4. Par ratio est verbi *potiri*, quod exemplis illustrat Burmannus Secundus ad Anthol. Lat. T. I. p. 273.

De

[(\*) Cff. Schol. ad Terent. Andr. III, 4, 7.]



De hac utriusque verbi potestate tacent Lexicographi.

— *Ex Praef. ad Schell.*

*Frustra.* M. T. I. p. 13. *frustra desideraverit*] *Elegantius frustra abesset* (\*). *Ex Addendis.*

*Fundere preces.* M. T. I. p. 210. *te fuis ex animo precibus adjuvare conabimur*] *Fundere preces*, poëtis frequens, non reperitur apud prosae orationis scriptores.

*Futurum fuisse.* M. T. I. p. 40. *tantam in utroque dicendi copiam fuisse censemus*] Muretus in margine Aldinae correxit, *copiam futuram fuisse.*

## G.

*Germanus.* M. T. II. p. 350. *homo non indoctus*] Guilielmus Xylander. Ceterum Muretus, Nepotem [negantem turpe fuisse Cimoni — sororem germanam habere in matrimonio] erroris arguens, ipse errat, quod veram potestatem vocis *germanus* non satis tenebat. Vid. Jan. Rutgersium Var. Lect. I. 9.

*Gratia.* Vere monet Lagomarsinus ad Pogiani Epist. T. III. p. 305. Latinos semper dicere, *gratias agere*, at *gratiam referre*, *gratiam habere*, nisi si quando *referre* aut *habere* cum *agere* conjungitur, recteque adeo Lambinum in Cicerone Phil. III. 15. pro *gratiae referantur* scribere *gratia referatur*. Sic etiam

[(\*) Eadem ratio est Verbi *requirere*; conf. Cic. Or. p. lege Manil. [C. 2.] §. 6. ubi. v. A. Math. et Epp. ad Famil. XII. 50. FRIED.]

etiam Bentlejus in Terentio Andr. IV. 4. 31. pro  
*Dis pol habeo gratias e MSS. edidit gratiam.* — *Ex*  
*Praef. ad Schell.*

## H.

*Hactenus.* M. T. II. p. 653. *itaque de nostris*  
*pauciores hactenus, quam vellem, extiterunt*] *Hac-*  
*tenus* de loco, vel re, dicitur, non de tempore. Vi-  
 de Cellarium Cur. Poster. p. 362. — M. T. IV.  
 p. 593. *Qui hactenus interpretes extitissent*] *Re-*  
*ctius adhuc. Hactenus* de loco, *adhuc* de tempore  
 dicitur.

*Haud scio an non.* M. T. I. p. 341. *ut haud*  
*sciam, an ullum sit eorum omnium*] Ex Latinitatis  
 ratione scribendum: *an nullum.* Vide Heusinger,  
 ad Nepot. Timol. I. et Ernestum ad Cic. ad Div.  
 IX, 9. de Senect. 14. Nec dubito, quin ita scripse-  
 rit Muretus. Certe sic est supra p. 187. in Aldina,  
 ubi vulgares Editiones habent, *an ullus.* Qui nunc  
 Latine scribunt, dici vix potest, quoties ad hunc sco-  
 pulum offendant (\*).

*Humo.* Piget me inanium in hoc verbo argutiarum,  
 quas Schellerus jam bis prolatas in Praecept. stili p.  
 761. et in Observ. p. 312. hic rursus inculcavit.  
 Negat vir doctissimus, etymon premens, *humare*,  
 quod proprie est humo tegere, pro cremare dici.

At

[(\*) De varia hujus dictionis significatione egit V. Cl.  
 ad Terent. Andr. III, 2, 45.]

At Cicero et Nepos ajunt. Lutatius quoque ad Stat. Theb. IX. 299. *inhumatus* de non cremato accipit. Sed V. Cl. nesciebat fortasse, Latinos ita loqui imitatione Graecorum, quos inde ab Homero Od. M. 12. *θάπτειν*, quod est *humo tegere*, pro *cremare* frequentasse, vi exemplorum demonstrarunt T. Hemsterhusius ad Xenophont. Ephes. in Miscell. Observ. Vol. V. T. I. p. 21. et P. Wesselingius ad Diodor. Sic. III. 55. — *Ex Praef. ad Schell.* (\*).

HYMETTIIUM *mel*, non HYBLAEUM. M. T. I. p. 795. *Hic plena Hyblaeo populans alvearia melle*] In Attica suavitate laudanda *Hymettium mel*, non *Hyblaeum*, commemorandum erat. Sic etiam judicat Checcotius Indice v. *Hyblaeum*.

HYPERIDES *Orator*. M. T. I. p. 170. *Lysia, Hyperide, Andocide, caet.*] Muretus de Hyperide perinde loquitur, ac si ejus Orationes, quae dudum perierunt, adhuc superessent (†).

I.

IAPETIONIDES. M. T. IV. p. 613. *Iapetionidae tundere sucta jecur*] Errat cum aliis in hujus nominis forma, *Iapetionidae* scribendum esse, docet

[(\*) Similis est ratio verbi *sepelire* et vocis *sepulchrum*: vid. V. Cl. Schol. ad Terent. Andr. I, 1, 101.]

[†] At earum recuperandarum aliquando spem fuisse, patet ex Fabricii Bibl. Gr. V. I. p. 932. not. unde sua sumsit Anonymus Gallus Vitarum Orat. Graec. T. II. p. 66.]

cet Jo. Schraderus Emend. cap. 12. p. 224. (\*).  
*Id propterea. M. T. II. p. 889. id propterea*  
*Syros eis piscibus abstinere] Pleonasmum id propterea,*  
*hausit ex Terent. Andr. II. 5. 3. id propterea nunc*  
*hunc venientem sequor. Sed ille versus adulterinus*  
*est Bentlejo iudice.*

*Imitationis exempla. M. T. I. p. 319. Roscius,*  
*cum ad senectutem pervenisset, incidisse numeros ac*  
*cantus, ipsasque remissiores fecisse dicitur tibias.]*  
 Muretus imitatione sua probasse videtur Lambini  
 conjecturam in Cicerone de Leg. I. 4. *Roscius fami-*  
*liaris tuus in senectute numeros in cantu ceciderat,*  
*ipsasque tardiores fecerat tibias. ubi vulgo editur,*  
*cecinerat. Sed nihil certi (†). — M. T. I. p. 353.*  
*Ite domum, cives Tiburtes, nunciate liberis vestris,*  
*nunquam caet.]* Imitatur dictum Metelli Macedonici  
 in Scipionis Aemiliani funere, quod est apud Pli-  
 nium H. N. VII. 44. *Ite, filii, celebrate exsequias.*  
*Nunquam civis majoris funus videbitis. — M. T. I.*  
*p. 459. Scis enim, quam inutilis ea (exspectatio)*  
*atque aliena sit placere cupientibus]* Muretus imita-  
 tionem suam probare videtur vulgatam lectionem Teren-  
 tii Andr. I, 5. 52. Sed ibi rectius editur: *Nec*  
*clam te est, quam illi utraeque res nunc utiles. Vt*  
 de Rivium et Bentlejum. — Aliud vid. v. *Foras.*

Im-

[(\*) Similem errorem in scribendo nomine *Amphiaraia-*  
*des* notavit Valcken. Diatr. Eurip. p. 287, C.]

[(†) Matth. ad Eloq. Lat. exempl. p. 141. „*Ceciderat*  
*ecidit Goerenz e Codd. a cadere illud derivans, quum sit a v.*  
*cadere.*” Idem monuit Osann, in *Analect. Crit.* p. 26. FRIED.]

*Impatibilis.* M. T. II. p. 637. *omnia quae — impatientibilia creduntur*.] *Impatibilis* non barbara vox est, [sed Ciceronis de Fin. II. 17. ubi vide Davisium.]

*Impedio cum Dativo.* M. T. II. p. 237. *atque impedire huic mutationi videtur*] Male *impedio* cum Dativo construitur.

*Impurissimus tyrannus.* M. T. I. p. 314. *ab impurissimo tyranno sub jugum terribissimae servitutis sedacta est*] Forte Muretus scripsit, *importunissimo tyranno*, ut Cicero et Livius loquuntur. Vulgatum tamen explicari posse fateor. Ceterum hic locus habet vitium Pontificis Romani adulationem, etiam contra historiae fidem. Graecos enim, ante imperium suum eversum, in barbariem lapsos esse, quis est, qui nesciat?

*In.* In hac praepositione illustranda fugit Lexicographorum diligentiam vis ea, qua pro *instar* ponitur. Anthol. Lat. T. I. p. 271. *Dicitur in nitidum procubuisse bovem.* Sic saepe Appulejus, ad cuius L. III. p. 191. plura Oudendorpius. Eodem modo Graeci, non optimi illi quidem, sed certe satis boni loquebantur. Philostrat. de Vit. Sophist. II. 12. p. 593. ἐν λέοντι θυμούται, καὶ ἐν οὖν ἑρμῆ. — *Ex Praef. ad Schell.*

*In domo.* *In domum.* M. T. II. p. 385. *Cum in domo Pharisaei cenanti communi omnium domino, ingressa esset*] A Mureto scriptum videtur: *cum in domum Pharisaei, cenante communi etc.*

*Incogitanter.* M. T. I. p. 11. *nunquam istam stulte, incogitanterque scripsisset*.] *Incogitans* Terentius [Phorm. I. 3, 3.] dixit. Sed *incogitan-*

*ser* aequae insolens est, ac *cogitanter* pro *cogitate*.  
*Incommodatio*. M. T. I. p. 53. *insuavem fore  
 celeritatem — cum ipsorum incommodatione susceptam* ]  
 Haec vox Mureto haesit ex corruptis libris Cicero-  
 nis ad Att. I. 17. Nunc recte editum est *incommo-  
 ditate*.

*Inconcinnitas* affertur ex Suetonio Aug. 86. *vitatis  
 sententiarum ineptis, et inconcinnitate*. At *concin-  
 nitate* e MSS. quibus consentit Codex Santenii nostri,  
 legunt Ernestus et Oudendorpius. Qua lectione nihil  
 verius. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Increbuit*. *Increbuit*. M. T. I. p. 39. *Sed in-  
 crebuit sermo quidam hominum imperitorum* ] Scri-  
 be, *increbuit*. Vide Oudendorp. ad Sueton. Caes. 79.

*Indubitate*. Hoc adverbium tribuitur Vellejo II.  
 60. Si Schellerus meam editionem inspexisset, in ea  
 reperisset alia omnia. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Infirmus* aliquando est timidus, et quoniam, ut ex  
 infirmitate metus, sic ex metu religio, sive supersti-  
 tio nascitur, etiam superstitiosus, *δεισιδαλατος*. Cuius  
 potestatis explicationem in Lexicis desideramus.  
 Horat. Serm. I. 9. 70. *nulla mihi, inquam, Reli-  
 gio est. At mi: sum paulo infirmior*. Sic *imbecillus  
 animus* dicitur a Cicerone de Divinat. II. 39. Apud  
 Graecos frequens hoc sensu *ἀσθενής*, apud Gallos *des  
 esprits foibles*. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Innuo*. M. T. II. p. 117. *hoc murem innuere* ]  
*Innuo*, pro *significo*, barbarum est (\*).

[(\*) Similis est ratio verbi *alludere*, monente Wyttenb.  
 Bibl. Crit. P. XI. p. 97.]

*Inquit.* M. T. II. p. 726. *quem verum pene totum usurpavit Lucretius inquit.] Inquit non ponitur, nisi post unum alterumve verbum.*

*Intentio.* Plinius Paneg. 78. *haec nempe intentio tua, ut libertatem revoces.* Hic *intentionem* Schellerus explicat *studium* aut *voluntatem*. Bene, *studium*, *secus*, *voluntatem*. Haec enim vox semper ab idoneis scriptoribus de contentione et singulari studio, nunquam de consilio et voluntate, dicitur. Vide Schwarzium ad Plin. l. c. et Facciolum Anim. crit. in Lexica p. 240. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Interminate.* M. T. III. p. 649. *si infinite, atque interminate omnia uni permissa sunt.]* Hoc adverbio nemo Latinorum usus est.

*Interpolare.* M. T. I. p. 15. *tu depravatas hominum mentes, velut de integro interpolasti.]* Dura et abhorrens translatio, praesertim cum *interpolare* semper fraudis significationem adjunctam habeat.

*Invalitudo.* M. T. I. p. 480. *cum primum de invaletudine mea nuncius istuc allatus est.]* *Invalitudo* bis terve apud Ciceronem legitur. Sed veteres libri, modo *valitudo*, modo *invalitudo* praebentes, dubiam scripturam faciunt. Vide Drakenborch ad Liv. Epit. 13.

*Ipsè. Ipsemet.* M. T. I. p. 221. *quibus piscator ipsemet captus.]* Rectius *ipse*, quam *ipsemet*, dicitur, monet J. G. Bergerus Praef. ad Orat. Lector. p. 13. (Est tamen apud Plautum Amphitr. prolog. 102. et Ciceron. Verr. III. 1. *Ex Addendis*).

*ISOCRATES.* M. T. II. p. 10. *tertiū cuiusdam*  
Iso-

*Isocratis, qui Ciceronis temporibus floruit*] Errat. Vide Fabricium Bibl. Gr. Vol. I. p. 848. De Apolloniate Isocrate diximus in Hist. Crit. Orat. Gr. p. 84. (\*).

*Jubeo, ut. M. T. I. p. 85. sed animus, qui jubet, ut nos ipsos noscamus*] Rarior, nec imitanda, constructio, *jubeo, ut.* Vide Dukerum ad Liv. XXIII, 21.

*Juxta praeceptum. M. T. II. p. 105. Juxta praeceptum Hesiodi*] Imo, *secundum.* Alterum est cadentis Latinitatis. Idem notavit Scioppius Rhetor. Exerc. p. 17.

## L.

*LAMBINI merita de Cicerone. M. T. III. p. 43. Eant nunc qui negant, multum huic homini (Lambino) debere Ciceronem*] Vide, livor et odium quantum caliginem hominum animis offundant. Nostra aetate qui hac de re judicare poterant, Facciolatus et Ernestus, non solum Lambinianam Ciceronis Editionem unice probarunt, sed praeterea sic statuerunt, doctam et sollertem Lambini audaciam plus, quam aliorum inertem modestiam, Ciceroni profuisse.

*Lampada.* Expungenda e Lexicis esse, quae pro forma *lampada* afferuntur, facile intelligat, qui Bentlejumi ad Manil. I. 359. in consilium vocarit. Ceterum

[(\*) Supra, horum Opusc. p. 367 sq.]



fum Santenius noster Manilii versum feliciter, quam Bentlejus, sic sanavit: *succedit, iniquo Divisum spatium, quod terna lampade dispar Conspicitur paribus.* — Ex Praef. ad Schell.

Lapides, terrae ossa, quis dixerit? — M. T. II. p. 225. *Citantur enim haec a vetere Grammatico: Γῆς ὄστεοῖσιν ἐγκυμφοῖς πῶδα; de eo qui ad lapidem offensus. Sic autem, et sanguinem terrae Aristoteles — vinum vocasse dicitur.]* Hunc versum sine auctoris nomine laudat Eustath. ad II. B, p. 309. Sed auctorem Choerilum edit. Tzetzes MS. cujus locum ad Longinum p. 135. [Ed. Weisk. p. 236.] attulimus. Ceterum non Aristoteles vinum terrae sanguinem dixit, sed Androcydes apud Plinium H. N. XIV. 5.

Λέων, apud Schol. Thucyd. non est scriptor. M. T. I. p. 309. *Eam (asperitatem) Graeci ita esse in Thucyde perpetuam notarunt, ut, cum ille in piaculi Cylonii narratione aliquid ex ea de industria remisisset, leonem risisse dicant.]* Scholiastes Thucydidis ad I. 126. Τοῦ διηγήματος τοῦ κατὰ τὸν Κύλωνα τὴν σαφῆνειαν τινὲς βανμάσαντες, εἶπον ὅτι Λέων ἐγέλιξεν ἐνταῦθα. Ex quo loco Λέων, tanquam vetus scriptor, in Indicem auctorum, qui a Schol. laudantur, ridicule relatus est.

Liber. Cicero de Orat. II. 62. *quartum genus, obscenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum.* Hic liberorum, tanquam alienum, Ernestus delet, Schellerus mutat in *Luperorum*: ut satis appareat, neutrum vocis vihi cepisse. Liber est libere scortans, potans, dissolutus, perditus. Ipse Cicero Fragment. p. 1103. *convocata de hortulis in*

*auxilium quasi libera turba temulentorum.* pro Coel. 18. *quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries nominarentur.* Nepos Themistocl. 1. *Cum minus esset probatus parentibus, quod liberius vivebat.* Aliquando ad res refertur. Plautus Asinar. V. 2. 17. *Is apud scortum corruptelae, et liberis lustris studet.* Poenul. III. 2. 25. *Liberum ut commonstrarem tibi locum et voluptarium, ubi ames, potes, pergraccere.* Horat. de A. P. 85. *Et juvenum curas, et libera vina referre.* id est, comotationes, in quibus quicquid libet, facere licet. Vide Gronovium Observ. III. 4. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Luce meridiana.* M. T. III. p. 189. *ex ipsius verbis luce meridiana clarius perspicui possit*] Veteres in hac formula *meridiana* omittunt.

*Lusus verborum ineptos complures in Mureto notavit Ruhnkenius.* Huc pertinent: — M. T. I. p. 115. *Medicata enim est consilio ac prudentia sua communibus totius Galliae malis*] Puerilis lusus in nomine gentis Mediceae. — M. T. I. p. 153. *omnes te (Ant. Columnam) — ut firmissimam ac solidissimam Romani nominis ac dignitatis columnam intuebantur*] Frigidus lusus in nomine *Columnae*. Nec Latina consuetudo eum, cujus consiliis respublica nititur, *columnam*, sed *columen reip.* vocat. — M. T. I. p. 298. *Nam cum (Tacitus) ipse se satis tacitus laudet, ego quoque praestantiam ipsius tacitus admirari malo*] Puerilis lusus in nomine *Tacitus* ita placuit Mureto, ut eum sub orationis finem repeteret. —

M.

*M. T. I. p. 588.* ] *erit aliquid jam pridem Sacra-  
to sacratum* ] Puerilis alius in verbis (\*).

## M.

*Madeo. M. T. I. p. 255.* ] *ut olim oratio vestra  
et copia rerum madeat* ] Poëtica loquendi forma, non  
imitanda in prosa.

*Madido.* Participium *madidans* explicatur *madid-  
us, madens*, apud Claudian. de R. P. II. 88. *Ille  
novo madidantes nectare pennas Concutit.* Quam faci-  
le erat, vitiosam lectionem sic corrigere? *Ille novo  
madidatas nectare pennas Concutit.* — *Ex Praef. ad  
Schell.*

*Miser.* Hic annotanda erat vocis vis, qua pro sce-  
lesto et perditio, praesertim in convicio, dicitur. Te-  
rent. Eun. III. 1. 28. *hominem perditum miserumque!*  
V. 5. 11. [ap. Bentl. V. 4. 31.] *eam iste vitiauit miser.*  
Conveniunt Graeca *δυστηνος* et *κακοδαμων* (†). So-  
phocles Electr. 124. *Ὁ παῖ παῖ δυστανότατος Ἡλέκ-  
τραῖ μᾶτρός.* ubi vide Schol. Theocrit. Eid. XV. 31.  
*δύστανε, τί μεν τὸ χιτῶνιόν ἔρδεις;* Convenit etiam Gal-  
licum *malheureux*. — *Ex Praef. ad Schell.*

MITHRIDATES *salutatus* DIONYSUS. *M. T. II.*  
p.

[(\*) Addatur *M. T. I. p. 545.* *quae ab illo in puteum  
illum mersa sunt.* ubi haec Thomasius: „Allusio ad nomen  
„Puteani, ad quem Lambinus alicubi, ne Gifanium necesse  
„haberet nominare, provocaverat. Repete lib. I. Ep.  
„LXXVI. lit. n.”]

[(\*) Item *τάλας*, apud Theocrit. Eid. XX. 3.]

p. II. *Quare haec altera causa* (quamobrem *Mithridatem Dionysum salutarent Tralliani*) *putanda est verior, bis eum fulmine appetitum fuisse, caet.*] Ne haec quidem ratio probanda est. Veriorem attulimus ad Vellej. Pat. II. 82. p. 345.

MITYLENAEORUM mos. *M. T. I. p. 23. Mityl-  
naei — quos populos bello devicerant, nullam eis alian-  
poenam irrogabant, nisi, ut ne liberos suos litteras edo-  
cerent.*] Aelianus V. H. VII. 15. unde haec ducta  
sunt, non hostibus devictis hanc poenam constitutam  
dicit, sed τοῖς ἀφισταμένοις τῶν συμμάχων. Mureti  
errorem notavit Jo. Checcotius in Praef. Mureti Ope-  
rum ex Edit. Patavina p. 69.

*Moderor. Modulor.* — *Moderationis ac suavitatis*] *Mo-  
dulationis* legere malit vir doctus *Misc. Crit. cap. VII.*  
Sed *moderatio* et *moderari*, ut origine, sic vi et po-  
testate conveniunt cum *modulatio*, *modulari*, et de  
*modis musicis* recte dicuntur. Cicero de Orat. I. 60.  
*adstrictus certa quadam numerorum moderatione et pe-  
dum.* Ibid. II. 8. *qui enim cantus moderatae oratio-  
nis pronuntiatione dulcior inveniri potest.* Anthol.  
Lat. III. 182. p. 625. *cujus moderamine sacro Unum  
ex diversis vox digitique canunt.* Hygin. praef. As-  
tron. p. 403. *Etsi te versuum moderatione praestare  
video.* ubi alia exempla habet Munckerus. Add.  
Burman. ad Ovid. Met. XI. 154. Apud Claudian.  
de Bell. Getic. vs. 230. omnes libri habent: *Quid  
meditentur ayes, quid cum mortalibus aether Fulmi-  
neo velit igne loqui.* Quod durum est in verbo *me-  
ditentur*, interpretando lenire tentavit magnus Gesne-  
rus. Forte quis capiat pro *cantent*, ut Servius cepit

pit in Virgil. Ecl. I. 2. VI. 82. Sed mihi legendum videtur: *Quid moderentur*, vel *modulentur aves*. Verborum *meditari*, *moderari*, *modulari* perpetua est confusio, etiam apud Claudianum, ut docet Burm. l. c. Orpheus de Lapid. prooem. vs. 45. p. 296. Ὅσα τε κεκλήγασι μετὰ σφίσιν ἡεροφῶται. ubi H. Stephanus bene repudiat vulgatum μετὰ φρεσίν. Nam sic alibi p. 350. Ὅσα τε κοῦφοι Ὀρνίθες κλάζουσιν, ἐπίσταμαι ὅσα τε θῆρες Ὀμησταὶ τετράπεδοι ἐνὶ σφίσιν ὄρνευται. Apollon. Rhod. II. 1282. ὦρη δ' ἡμῖν ἐνὶ σφίσι μητιάσθαι. RUHNKEN. ad Mall. Theod. de Metr. ed. Heusing. p. 13.

*Modicellus*, Apage vocem insolentem, quae nusquam legitur, nisi in mendoso loco Suetonii Neron. 45. ubi Oudendorpius, bonos libros secutus, bene edidit: *decubuit super lectum, modica culcita instratum*. Quem Ernestus in posteriore editione imitatus est. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Momentum*. Vellejus II. 78. *provincias magnis momentum Labienus concusserat*. ubi *momentis* explicatur *motibus*. Perperam. Nam *molimentis* legendum esse, in annotationibus nostris docuimus. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Mutuum*, non *mutuo*, accipere. M. T. II. p. 680. *mille drachmarum mutuo accepisse*] Imo, *mutuum*. Veteres enim dicebant, *pecuniam mutuam sumere*, vel *accipere*, non *mutuo*. Vide Gronov. de Pec. Vet. III, 1. — M. T. III. p. 538. *Quam multi mutuo sumunt*] Rectius *mutuum* scripsisset. Vide Gronov. de Pec. Vet. III, 1. p. 114.

MURETI *Latinitas*. M. T. II. p. 346. *sed in*

*Tertulliano, Arnobio, Hieronymo* etc.] Gasp. Scioppius Rhetor. Exercit. p. 17. et de Stilo Histor. p. 64. existimat, haec Muretum non ex animi sententia scripsisse, sed ut in hac professione, si quid sibi minus Ciceronianum excidisset, latebram haberet. Adversus Sciopp. disputat Jac. Thomasius Praefat. p. 8. Mihi in tali re non quid quisque dixerit, praesertim tempori serviens, sed quid certo et constanti iudicio fecerit, spectandum videtur. Atqui res ipsa loquitur, Muretum non alios, nisi Cicero-nem, et reliquos optimae aetatis scriptores imitando expressisse; Appuleji autem, Cassiodori, Sidonii, et similium verba, tanquam scopulum, fugisse. Vera igitur est Scioppii sententia (\*).

## N.

*Naturalis pater.* M. T. II. p. 991. *Naturalis pater*, — an Latine satis dicatur, subdubito] Latinum esse, docet Gronov. ad Liv. Epit. LI.

*Ne — quidem.* M. T. II. p. 918. *nisi illud quidem constat*] Scrib. *ne illud quidem.* — M. T. III. p. 262. *Nec illa quidem*] Rectius, *ne illa quidem.*

*Negantia.* M. T. III. p. 208. *affirmationem aut negantiam*] *Negantia*, pro *negatione*, semel legitur apud Cicer. Top. 14. Sed suspectus locus est.

*Nescio* a Poëtis exquisite usurpatur pro *non sentio*. Quae

[(\*) Cf. Praef. ad Mur. supra p. 630. et Cl. Wyttenbachius in Vita Ruhnken, p. 23c.]

Quae verbi vis Lexicographos fugit. Lucan. VII, 173. *sua quisque pericula nescit.* ubi vide Burmannum. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Non*, additum. *M. T. I. p. 518. putans se reperisse, quod pueri in faba]* Scribendum, *non quod pueri*, e Plauto Aul. V. 1. 11. — T. III. p. 290. *aut omnino non oblectari]* Addidi *non*, quod exciderat.

*Noxa. Noxia.* De discrimine inter *noxam* et *noxiam* saepe multumque disputarunt viri eruditi. v. Duker. de lat. vet. Jctorum p. 10 sqq. *Noxia* vere adjectivum, subintellecto *culpa* vel *res*, semper significat culpam, injuriam, peccatum: *nox* culpae poena, unde *noxae dare*, et hinc quodvis detrimentum ac damnum. Sic discrimen constituit Oudendorp. ad Sueton. Caesar. c. 81. — *Ex Schol. ad Terent. Eun. V. 2, 13.*

*Nox* pro clamore nocturno sumitur in Propertio IV. 8. 60. *Omnis et insana semita nocte sonat.* Mirabile est, aliquem potuisse ad tam inauditam vocis notionem confugere, cum in promptu esset verissima lectio, Passeratii ingenio reperta: *Omnis et insana semita voce sonat.* — *Ex Praef. ad Schell.*

*Numerosus.* *M. T. II. p. 680. cum familia numerosissima]* *Numerosus*, pro *multus*, non dixit melior aetas in oratione soluta.

*Numerus.* Jure hic requiras notionem, poëtis usitatam, qua *numeri* pro *astronomia* ponuntur. Lucanus I. 640. *quam non stellarum Aegyptia Memphis Aequaret visu, numerisque moventibus astra.* Cujus loci sententia omnes interpretes fefellit. *Numeros mo-*

*ventes astra* intellige astronomiam, quae astrorum motus ad calculos vocat, eorum motus tradit. De hoc loquendi genere, quo quis facere dicitur, quod factum narrat, pulcherrima est animadversio Hemsterhusii ad Thomam Mag. p. 187. hunc etiam Lucani locum ceteris, quos laudavit, addituri, ut ipsam mihi narrare memini, si suum officium fecisset memoria. Ex eadem ratione explicandus est Ovidius Fast. III, 112. *Non illi caelo labentia signa movebant, Sed sua,* item Cinna Anthol. Lat. T. I. p. 441. *carmina, quibus ignes movimus aërios.* Neutro loco interpretes vim verbi *movere* satis ceperunt. Huc etiam pertinet Anthol. Lat. T. I. p. 51. *Uranie numeris scrutatur munera mundi,* ubi, ut id in transitu dicam, Burmannus Secundus *munera* minus bene in *moenia* mutabat. Nam Cicero quoque mundum *munus* vocat, Tuscul. Disput. I. 29. de Nat. Deor. I. 8. II. 35. translatione sumta ab aedificiis publicis, magnificis et visendis, quae Romanorum consuetudo *munera* appellabat. Vide Ernestum Clav. Cic. V. *Munus, — Ex Praef. ad Schell.*

*Nuptus. M. T. III. p. 481. propterea virgines — nuptui tradi debent*] Imo *nuptum*. Vide Drakenborch. ad Liv. I, 49. — Nemo, qui eruditam animadversionem Drakenborchii ad Liv. I. 49. legerit, dubitare potest, quin rectum sit, *nuptum dare, collocare*, pravum, *nuptui dare, collocare*. Cur igitur vitiosa forma in Lexicis repetitur? — *Ex Praef. ad Schell.*

*Nutrix, Alumna. M. T. II. p. 102. Noctem sperum nutricem vocasse*] In Editione prima Muretus



ius scripserat *siderum alumnam*; quod mutavit de admonitione Lambini in epistola laudata p. 399.

## O.

*Objicere gaudium.* M. T. I. p. 198. *neque tibi ulla ex re verius ac solidius gaudium objici potest* ] *Gaudium objici dicitur, quod insperatum est, ut apud Terent. Heaut. I. 2. 12. Ut hanc laetitiam necopianti primus objicerem.* Qui sensus ab hoc loco alienus est (\*).

*Obnixē.* M. T. I. p. 560. *me manibus pedibusque obnixē operam daturum* ] Imo, *enixē.* Vide quae de harum vocum discrimine diximus ad Vellej. Pat. I. 9. p. 36.

*Offendo.* Schellerus, vulgarem interpretationem in Nepotis Cim. 4. secutus, *offensum fortuna accipit de infelice.* Multo verius is, qui tam praeclare de Nepote meritus est, J. M. Heusingerus explicat *casu obvium, fortuitu oblatum.* — *Ex Praef. ad Schell.*

*ὀμιλεῖν. ὀμιλεῖν.* M. T. II. p. 43. *Suspicaŕi me, quod apud Plutarchum legitur, τύχαις ὀμιλῆσαι, legi debere ὀμιλεῖσαι.* ] Infelix conjectura. Vide Is. Casaubonum ad Theophrast. Char. 3. p. 112.

*Omnigenus.* M. T. II. p. 280. *cum incredibili omnigenae eruditionis copia* ] *Omnigenus poetica vox* (†).

[(\*) Cf. Schol. ad Terent. I. 1.]

[†] Cf. Mahnius Epicr. Bibl. Cr. p. 14.]

*ὄνειδος*, honor. M. T. II. p. 139. *Graeci quoque ὄνειδος, cum fere in infamiae ac turpitudinis significatione ponatur, nonnunquam tamen pro gloria accipiunt* ] Aliter *ὄνειδος* accipit Lambinus in epistola laudata p. 400. At cum Mureto sentit Valckenarius ad Euripidis Phoeniss. vs. 828.

*Opposita*, barbarum est. Vid. *Contraria*.

*Ordinate*. *Ordine*. M. T. I. p. 38. *qui distincte ordinateque dicendi praecepta tradunt?* ] Hoc habet ab Auct. ad Herenn. IV. 56. ubi tamen alii libri praebent *ornate*. Cicero dixisset, *ordine*.

*Oscitantia*. M. T. III. p. 39. *Hic oscitantia librariorum* ] *Oscitantia* vocabulum Latinis haud usitatum.

## P.

*Pacifico*. M. T. III. p. 634. *quiete pacificeque vivatur* ] *Pacifico*, vox nullius auctoritatis.

*Par pro pari*. M. T. II. p. 739. *jocose se calvo par pro pari redditurum* ] Muretus deceptus est prava lectione Terentii Eun. III, 1, 55. *par pro pari referto*. ubi meliores libri habent, *Par pari referto*. Vide Bentlejum.

*Parvus*. Hic requirimus explicationem Graecismi, quo *minor* pro *victus* ponitur, ut *ἥττων* apud Graecos. Horat. I. Ep. 10. 35. *Minor in certamine longo*. Sed Lexicographi nostri Graecorum cum Latinis comparationem, quasi nihil ad rem pertineret, penitus neglexerunt, nec cognovisse videntur, quod de summorum virorum sententia in Ti. Hemsterhusii

Elo-

Elogio p. 43. (\*) diximus, *Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac diyellat, animi et corporis discidium inducere videatur.* Sed hic locus latius patet, quam ut paucis explicari possit. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Paucus. parvus.* M. T. II. p. 432. *Haec quamquam pauca, non usquequaque tamen Plauti amatoribus ingrata erunt.* ] Scribe, *parva* (†).

*Pellex.* Ovidius Her. XIV. 95. *Illam Jovis magni pellex metuenda sorori.* Schellerus non audet decernere, utrum *pellex* cum *Jovis*, an cum *sorori* conjungendum sit. Sed dudum Oudendorpius ad Sueton. Caesar. 49. sic locum construendum esse docuit: *Ille pellex metuenda Junoni, sorori Jovis magni.* — *Ex Praef. ad Schell.*

*Pendeo.* Hic praetermissa est significatio, quae flaccida sunt et deficiunt, *pendere* dicuntur. Ovid. Met. XV. 231. *fluidos pendere lacertos.* Juvenal. Sat. X. 193. *Pendientesque genas et aniles aspice rugas.* Plinius H. N. XIV. 22. *Hinc pallor, et genae pendulae.* — *Ex Praef. ad Schell.*

*Percutio. Percello.* M. T. I. p. 7. *majoris quodam numinis afflatu percussi* ] imo *perculsi*. Sed quid discriminis sit inter *percutio* et *percello*, Mureti aetas non satis cognitum habebat. Primus id ostendit R. Bentejus ad Horat. Epod. II. 2. (\*)

*Per-*

[(\*) Supra, horum Opusc. p. 226.]

[(†) *Pauca* repugnat Capitis inscriptioni, quam ita posuit Muretus: *In Plauti Poenulo notata non pauca.*]

[(†) Discrimen pluribus illustravit V. Cl. in Schol. ad Terent. Andr. Act. I. Sc. I. vs. 98. ubi haec habes:

*Per-*

*Pereo.* Notissimum est comicum *perii* in desperatione. Non item Lexicographis notum est, tanquam interjectio mirantis, aut dolentis, aut indignantis, eandem vim habens, quam Graecum τὸ δεινὰ, et Latinum *malum*. Terent. Heaut. II. 1. 8. *Perii! is mihi, ubi adhibet plus paulo, sua quae narrat facinora!* Hanc rationem primus bene explicuit Brunckius, vir elegantissimus, ad Aristophan. Lysistr. 921. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Perinde.* Hoc adverbium pro *multum*, *valde*, poni dicitur. In quo falsi sunt et Lexicographi, et qui de Particulis scripserunt. Vere enim monet Dukerus ad Liv. XXIII. 21. in iis locis, ubi sic poni putatur, supplenda esse argumento convenientia, velut in Suetonio Aug. 83. *crure sinistro non perinde valebat,*

*Percussit animum*] h. e. commovit, suspicionem iniecit. Cic. ad Attic. IV. 8. *Audivi Romae esse hominem, percussit animum.* pro Deiotaro c. 6. *hac suspitione sum percussus*, ubi v. Graev. Sueton. in Tiber. c. 11. *percussus inopinata re, diu quid ageret incertus.* *Percussus* et *percussus* a librariis confunduntur. Vulgares magistri contendunt *percussus* ad corpus, *percussus* ad animum referri, quod a vero alienum est. Utrumque de utroque dicitur, de corpore proprie, de animo translate, sed *percellere* in re graviore locum habet, ut, si quis quasi fulmine ictus extra se rapitur, prae subita animi invasione quid agat nesciat. Horat. Epod. XVII. 15. *tacet et albus ora pallor inficit mentesque percussae stupent.* *Percuti* vero dicitur in leviori affectu, ubi animus quidem commotus est nec tamen eversus et consternatus. De horum verborum discrimine v. Rivium ad h. l. Interpr. ad Ovid. Metam. IV. 138. inprimis magnum Bentlejum ad Horat. Epod. XI. in initio. RUHNK.

bat, supplendum, ac dextro. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Personare.* — *Scena personat*] Legendum videtur: *scenam personat.* Virgil. *Aen.* VI. 417. *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat.* Vide ibi Seruium. Claudian. in *Eutrop.* II. 302. *Labentem patriam sacris ululatus Atys Personat.* Similiter construuntur *resonare* et *circumsonare.* Virgil. *Aen.* VII. 11. *Dives inaccessos ubi solis filia lucos Assiduo resonat cantu.* ubi vide Burman. *Aen.* VIII. 474. *Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.* quod ab eo sumsit Salvianus de *Gubern. Dei* VI. p. 121. *Circumsonabant armis muros Ciriae atque Carthagini populi barbarorum.* RUHNKEN. *ad Mall. Theod. de Metris ed. Heusing.* p. 29.

*Persuadeor.* *M. T. I.* p. 662. *ad extremum tamen me persuaderi passus sum*] Imo, *mih.*

*Pertinere ad aliquem.* *M. T. II.* p. 924. *partem quandam eorum, quae ad Tyronem pertinebant, occupavit*] Apud semibarbaros, qui nunc Latine scribunt, frequens est, *haec ad me pertinent, pro haec mea sunt.* Veteres aliter loqui, docet Vossius de *Vitiis Serm.* VIII. p. 399.

*Petitio pro precibus.* *M. T. I.* p. 144. *Obsequamur igitur amicorum petitioni*] *Petitio pro precibus* non reperitur apud idoneos scriptores.

*Picturatus.* *M. T. II.* p. 100. *prato, quod florum — varietate — distinctum picturatumque sit.*] *Picturatus*, poeticum verbum.

*Pigneror.* Hic nulla ratio habita est annotationis exquisitae, qua Lagomarsinus ad *Pogiani Epist.* T. II. p. 283. ex *Cicerone Phil.* XIV. 32. docet, *pig-*

*narari* esse verbum militare, cui respondeat Gallicum, *engager au service*. — Ex Praef. ad Schell.

*Plebiscitum*. M. T. II. p. 234. *et auctoritatem plebiscitorum sive psephismatum*] Rectius dixisset *populiscitorum*.

*Plotius*. M. T. I. p. 367. *M. Tullius — a Gallo se homine Plotio eloquentiae praecepta didicisse profuerit*] Non fuit Plotius Ciceronis magister. Muretus nimis festinanter inspexit Ciceronis hac de re locum apud Sueton. de Rhetor. 2. ut bene demonstravit Checcotius in Praef. p. 19.

*Praecipue*. M. T. I. p. 9. *Theologia — duabus praecipuis partibus continetur*] Malim, *praecipue*. Et sic a Mureto scriptum puto.

*Praeponderari*. M. T. II. p. 198. *sin praeponderabantur honestis turpia*] Forte Muretus scripsit, *praeponderabant*.

*Praestat, ut*. M. T. II. p. 87. *Sed praestat, ut versus — adscribam*] Rectius, certe usitatius, est *praestat* cum infinitivo.

*Produco, adduco, locum*. M. T. I. p. 133. *quod prolatis ac productis ipsorum locis probarem*] *Producere* vel *adducere locum, rationem* etc. non dicunt Latini (\*). — M. T. II. p. 62. *adducto eo ipso Pindari loco*] *Adducere* et *producere locum*, pro  
af-

[(\*) Muretum, teste Friedemann, defendere studuit Matth. ad Eloq. lat. exempl. p. 57. „Sed *producere* tes-  
tes dicunt; quorum testium vim, quum locis, quae afferre  
possit, tribuat, illo etiam verbo utitur Muretus.” At mi-  
nus recte, nostro quidem iudicio.]

*afferre*, non reperitur apud antiquos. Recentiorum consuetudo, sic verbum usurpans, nobis quoque aliquando fraudi fuit. Vide quae ad T. I. p. 133. notavimus.

*Profiteri* passive. M. T. I. p. 248. *Non poterat — profiteri, quanto plus in ea (justitia) non dignitatis modo, — sed utilitatis quoque, quam in injustitia inesset*] *Profiteri* passive dixit exemplo Ciceronis Agrar. II. 21. ubi sic est *fateri*. Sed ille locus vix sanus videtur Criticis. Vide Duker. de Latin. JC. vet. p. 359. et Ernest. Clav. Cic. v. *Fateor*. An. Muretus scripsit *patesferi*? Hoc quidem aptius est sententiae, quam alterum.

*Prolixa coma*. M. T. III. p. 652. *ut quisquam, cui prolixa coma sit*] Muretum decepit prava lectio Terentii Heaut. II, 3, 49. *capillus prolixus*. ubi meliores libri recte habent: *capillus promissus*. Vide Bentlejum.

*Promovere ad munus*. M. T. II. p. 466. *ad summum in ecclesia episcoporum munus promoverentur*] Sciopp. Rhet. Exerc. p. 17. tamquam novum loquendi genus reprehendit, *ad episcopi munus promoveri*. Certe ante Plinium et Suetonium nemo sic locutus reperitur.

*Prorogare vitam*. M. T. I. p. 194. *et annis suis vitam illius prorogare*.] Rectius *propagare*, ut nunc editur apud Cicer. de Finib. V. 11. *propagabat tamen vitam aucupio*. De confusione et discrimine horum verborum Critici saepe disputarunt, ut Graev. ad Cic. ad Div. V. 15. et Oudendorp. ad Suet. Aug. 23.

*Pro*

*Prosequi. Persequi. M. T. I. p. 38. Qui her-  
barum — utilitates prosequuntur.] Muretus in mar-  
gine Aldinae, teste Editore Veneto, bene correxit;  
persequuntur. — M. T. I. p. 67. ut ea (praecep-  
ta) non arido — orationis genere prosequar.] Imo,  
persequar (\*).*

*Protector. M. T. I. p. 208. ita ut eorum pro-  
tector — haberetur.] Protector, vox barbarae. Vide  
Cellar. Cür. Poster. p. 202.*

**Q.**  
*Quid dicam, non habeo. M. T. IV. p. 609. In  
sententia quid reprehendam, non habeo.] Qui error  
Mureto cum multis, etiam Latine doctissimis, com-  
munis est. Nunc, post Ernesti hac de re disputa-  
tionem in praefat. ad Ciceronem, nemini dubium esse  
potest, quin scribendum sit: in sententia quod re-  
prehendam, etc. E praef. ad M. T. IV. p. IX.  
supra horum Opusc. p. 684.*

*Quinto quoque anno. M. T. II. p. 344. qui quod  
quinto quoque anno faciendum significari vellet.] Huc  
pertinet animadversio G. Scioppii de Stilo Hist. p.  
226. „Fugit Muretum ratio, cum pro singulis quin-  
que annis dicendum putat quinto quoque anno. Nec  
enim eadem utriusque dicti est sententia. Si quid  
enim fiat, quod quinquennio, seu singulis quinquen-  
niis semel, nihil necesse est, id quinto semper anno  
fi-*

*[(\*) Conf. Cl. Mahnius Epicr. Bibl. Crit. p. 32, ubi  
agitur de phrasi viam persequi.]*



feri, cum etiam primo, secundo, aut quocunque quinquennii anno factum intelligatur."

*Quisque cum plurali.* M. T. I. p. 148. *prout quisque affectus est, ita res eis alias atque alias videri.* ] Nescio, quare Muretus in margine Aldinae ei scribat. Centies enim *quisque* cum plurali construitur. Vide Drakenborch. ad Liv. II. 22.

*Quorsus necesse?* M. T. II. p. 316. *quorsus enim necesse est, etc.* ] Loquendi modus, *quorsus necesse est,* ut parum Latinus notatur a Scioppio Rhetor. Exerc. p. 17. At Horatius II. Serm. 7, 116. dixit: *quorsum est opus?*

## R:

*Rebellare ab aliquo.* M. T. I. p. 206. *qui a Deo et a Rege rebellaverant* ] Forte excidit verbum *desidentes*. Nam *rebellare ab aliquo* ne fando quidem auditum est.

*Recipere reum.* M. T. I. p. 245. *reum recipere* ] Mirum, ni Muretus scripserit, *reum eripere*: quod a Cicerone exquisite dicitur pro arte quadam liberare. *Ex Addendis.*

*Rectitudo.* M. T. III. p. 241. *nisi pravis opinionibus a rectitudine abduceremur* ] Sic edit. Ingolst. Sed scribendum, *a recto itinere.*

*Redit haereditas.* — *Redire* potissimum dicitur de haereditatibus legitimis, *venire* de haereditatibus testamento relictis. Terent. Hec. I. 2. 97. *ea ad hos redibat lege haereditas.* Cic. Verrina II. c. 14. *huic haereditas venit testamento propinqui sui.* Vid. Brissonium de verborum significatione, in primis Dukerum ad Florum,

II. p. 429. *Ex Schol. ad Terent. Andr. IV. 5. 4. (\*)*.

*Redivivus*, an *recidivus*. *M. T. I. p. 784. Non, si Roma vetus per te rediviya resurgit*] *Rectius re-oidiua*. Vide Gronovium ad Senec. Troad. 470.

*Repertum*. *M. T. II. p. 19. ait repertum suum esse currus illos nautarum*] *Repertum*, pro *inventum*, Lucretii est, non Ciceronis.

*Rescribere*. *M. T. IV. p. 610. vix unquam epistolae meas relegere soleo, nedum emendare et describere*] A Mureti manu haud dubie est *rescribere*.

*Respondeo* tertiae conjugationis esse dicitur in Manilio V. 736. et Martiale III. 4. 17. Sed haec barbaries dudum ex utroque Poëta sublata est. Nam in Manilio Withofius ad Catonis Dist. IV. 5. et Bentleyus feliciter correxerunt: *Sic etiam in magno quaedam respublica mundo est*. Quam emendationem jure palmariam vocat J. Schraderus Emendat. cap. 12. p. 217. in Martiale autem viri docti certatim e MSS. legunt: *si quando veniet, tu respondeto, poëta* etc. (+). Omnino quoties Lexicographi aliquid ex Manilio laudant, toties fere a vitiosis editionibus turpiter decepti reperiuntur. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Ruo* accipitur pro *eruo*, *compono*, in Horatio Serm. II. 5. 21. *tu protinus, unde Divitias, aerisque ruam,*

[(\*) Quem locum, minus accuratè e Cl. Brunsi exemplari editum, nos ex alio MS. correximus.]

[(+)] Vulgaris lectio, si quis quaerat, in Manilio est, *Sic etiam magno quaedam respondere mundo; in Martiale, Si quando veniet? dicet: responde, poëta.*

*ruam, dic, augur, acervos.* Quem locum viri docti profecto omisissent, si J. Schraderi verissimam correctionem cognitam habuissent, Emend. cap. 4. p. 72. *tu protinus, unde Divitias aerisque struam, dic, augur, acervos.* — *Ex Praef. ad Schell.*

*Rudis.* — *Si qui tamen inveniuntur, qui is his metrorum generibus ita rude atque inusitatum aliquid excogitent* ] *Rudis* veteribus, ut Cincius ait apud Fest. v. *Rodus*, omnis materia non deformata, atque adeo infecta et impolita: quomodo dicuntur *aes, vestimentum rude; lana rudis* Ovid. Ep. I. 78. *linum rude* Marcello Empir. p. 58. Hinc quicquid usu nondum tritum et experiundo probatum est, *rude* vocatur. Columella III. 11. *rudem agrum* opponit consito, *ubi fuerit seges.* Lactant. Epit. 60. *in rudibus agris priusquam serere incipias, evulsis sentibus, — arva purganda sunt.* Pulcre Catull. LXIII. 11. *Illam rudem cursu prima imbuat Amphitriten.* Vid. Broukhuis. ad Propert. II. 20. 39. In Claudian. Praef. in Rapt. Proserp. vs. 2. *rudes remos* P. Burmannus explicat ramos arborum non politos: melius, nec tamen accuratissime Gesnerus, novos, recens inventos. Intellige remos mare nondum expertos, remigio nondum adsuetos. Inde fluxit significatio *novi, recentis*, quae hujus loci est, et cadente Latinitate maxime celebrari coepit. *Olla rudis* Marcello Empir. p. 76. 192. quam alibi *recentem* dicit, ignem nondum experta, neque ullo alio usu trita. Ex Plinio Valeriano eandem dedit et *cacabum rudem* Barthius Adv. I. 14. Nemesian. Cynege. vs. 14. *rudibus qua luceat orbita sulcis.* et vs. 33. *Miratumque rudes se tollere Tereca*

*pinnas. Auctor Queroli p. 3. Aululariam hodie sumus acturi, non veterem, at rudem, investigatam Plauti per vestigia. Ex opposito res manifesta. Vide ibi Rittershusium, et, si lubet, Wopkens. ad Sedul. I. 275. Paulo insolentius Claudian. de VI. Cons. Honor. vs. 545. lunam rudem dixit novam, monente Barthio. Hanc seculi sui consuetudinem loquendi secutus Glossator Cod. Reg. in Virgil. Georg. II. 211. rudem campum exposuit novum: male, quanquam probat P. Burmannus. Rudis campus est ager nullo dum aratro proscissus. Ex hactenus disputatis satis defenditur vulgata Claudiani lectio de Cons. Prob. et Olybr. vs. 51. Quantum stagna Tagi, rudibus sili-jantia venis, Effluxere decus. ubi P. Burmannus Secundus ad Anthol. Lat. T. I. p. 10. de Oudendorpiana conjectura legit rutilus venis. Rudes venae sunt novae, recens apertae, quae aurum ante nondum effuderant; ne dicam, vocem rutilus, quae tertio post hunc versu occurrit, parum eleganter repeti tantillo intervallo. Poterat autem Burmannus Secundus hanc vocis potestatem ex Anthologia sua didicisse, III. 31. p. 478. Hic ubi Bajarum surrexit grata voluptas, Et rudibus splendens molibus extat opus. ubi contextus facile docet, rudes moles esse novas, recens stru-ctas. Idem ex Mallii nostri verbis clarissime apparet. RUHNKEN. ad Mall. Theod. de Metris ed. Heusing. p. 53 sq.*

S.

*Sapientissime M. T. I. p. 329. so-*

mno

immo saepissime abstinuisse] In vulgaribus Edd. de seioli correctione *sapientissime* legitur.

*Salvator. Servator.* M. T. I. p. 108. *Jesu Christi salvatoris*] Muretus in margine Aldinae reposuit vocem magis Latinam, *servatoris*.

*Scientiae.* M. T. II. p. 577. *quae ad alias facultates, aut scientias pertinent*] Rectius scripsisset, *disciplinas*. Nam Cicero's loca, de Or. I. 14. de Senect. 21. ubi *scientiae* sic dici videtur, aliter accipit Gesnerus Thes. L. L. Adde J. M. Heusingerum Observ. Antibarb. p. 428. — M. T. III. p. 352. *Quod autem ἐπιτήχαι, scientias verti, — scio esse qui non probent, contendantque scientiam Latine dici, scientias non dici.*] Vide quae diximus ad T. II. p. 577.

*Scopus.* M. T. II. p. 813. *qui praecipuus hujus poematis veluti scopus est.*] Melius est Latinum *consilium*, vel *propositum*.

*Se*, bis positum. M. T. I. p. 51. *se et Catholicam esse profitebatur, et se nunquam, caet.*] Muretus in margine Aldinae hoc *se* expungit.

*Se*, vel *Sese*, abundat. — *Quae sese inhoneste optavit parare*] *sese* poterat commode abesse, sed saepe abundat. In Eunuchi Prol. vs. 1. *Qui placere se studeat bonis quam plurimis.* Act. 2. Sc. 2. vs. 17. *Qui esse se primos omnium rerum volunt.* Sallust. Catil. c. 1. *qui sese studeat praestare ceteris animalibus.* Ubi vide Cortium. *Ex Schol. ad Terent. Andr. IV. 5. 2. (\*)*.

[(\*)] Hunc quoque locum emendatus, quam a Brunio editum est, hic appositimus.

M. et L. SENECA. *M. T. II. p. 276. At eantē* (memoriam Seneca) *ipsemet profitetur sibi usque eo firmam fuisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet.*] Confundit patrem Marcum, qui hoc de se praedicat Praef. L. I. Contr. cum filio Lucio, quem saepe memoria lapsum esse, ad Rutil. Lup. I. p. 9. monuimus.

*Sequior. M. T. IV. p. 193. sequioris notae*] *Sequior*, cadentis Latinitatis vocabulum. In promptu erat *deterioris*.

A. SEPTIMIUS SERENUS, aequalis Statii poeta, ut ex Statii Sylv. IV. 5. 57. demonstravit J. F. Gronovius Observ. III. 16. Fuit etiam aetate suppar Terentiano Mauro, qui de Metris p. 2424. haec de eo habet: *Qui multos legere, negant hoc corpore metri Romanos aliquid veteres scripsisse poetas. Dulciter Septimius qui scripsit opuscula nuper, Ancipitem tali cantavit carmine Janum.* Ex quo loco Terentiani etiam aetas, quae vulgo incerta habetur, certius constitui potest. Male J. Nic. Loënsis Epiphyll. V. 4. eumque temere secutus P. Burmannus Sec. ad Anthol. Lat. T. I. p. 14. temporis notam tollunt, legendo: *qui scripsit opuscula ruris.* Nam Septimius, *qui nuper scripsit*, a Terentiano opponitur *veteribus poetis*. Ipse Terentianus hanc scripturam confirmat p. 2427. *Nemo tamen culpet, si sumo exempla novella: Nam melius nostri servarunt metra minores. Septimius docuit quo ruris opuscula libro.* Vid. J. A. Fabric. Bibl. Lat. IV. 7. p. 795. *Ruris autem opuscula saepe ab aliis simpliciter opuscula dicuntur.* Servius Centrimetr. p. 1824. *Faliscum constat tribus dactylis et pyrrhichio, ut est hoc: Docta Falisca Pheronyme paras.*

Qua

Qua scriptura nihil mendosius. Loënsis l. c. ex melioribus libris laudat: *Docta Falisca, Serene, dabis.* Sed cum unis pes sic etiam pyrrhichio desit, legendum ex Cod. Vossiano, qui est in Bibl. Leid. *Docta Falisca, Serene, reparas.* RUHNKEN. *ad Mall. Theod. de Metris ed. Heusing. p. 21.*

*Sit. fit.* M. T. III. p. 325. *Nam etsi bona corporis habitudo nota sit, mala quoque nota sit* ] Muretus in exemplo Aldinae, quod Editor Veronensis a Jo. Bapt. Recanato habuit, corrigit, *fit* (\*).

*Solida doctrina.* M. T. I. p. 13. *cum solida Theologorum doctrina comparare collibuerit* ] *Solida doctrina* ἄκρως est, nec Latinis usitatum: ut mirer, elegantissimum librum, quo Philosophiae elementa traduntur, ab Ernesto inscriptum esse: *Initia solidioris doctrinae* (†).

*Solida*

[(\*) Alibi quoque variae lectiones in Mureti scriptis notantur: sed omnia ex eo genere colligere, non necesse duximus.]

[†] Ipsum Ruhnkenium, prave scribentium consuetudine deceptum, aliquando hac formulâ usum esse, jam supra notavimus ad Or. de Gr. Art. Inv. p. 90. ejusdemque erroris vestigia apparent, *ibid.* p. 111. et Or. de Doct. Umbr. p. 122. quae loca omnia emendaturus fuisset V. Cl. si quando illas Orationes retractasset, ut emendavit in Dedicacione Timaei ex ed. alterâ, supra p. 662. Attamen, teste Friedemannno ad h. l., eum dicendi modum nuper defendere studuit Matth. in not. ad Eloq. Lat. exempla, p. 125. „At, inquit, si Latinis inusitatum est, eodem tamen modo translatum est, quo *solida gloria, solida utilitas*, et similia, l. c. non inanis.” Equidem Ruhnkenii iudicium sequar.]

*Solvo.* Dubitat Schellerus, utrumne verba Ovidii Ep. X. 78. *esset morte soluta fides*, de fide praestita capienda sint, an de fide rupta. Non dubitasset, opinor, si Dukerum ad Florum I. 1. 13. de hac locutione egregie disputantem legisset. — *Ex Praef. ad Schell.*

*Sortiri quid.* M. T. II. p. 441. *Duae — vocales natura brevi — sortitae sunt, non nomina quidem propriae, etc.] Sortiri, pro nancisci, non est melioris aetatis.*

*Speculator. Spiculator.* M. T. I. p. 287. *immissis sine causa spiculatoribus] Rectius, speculatoribus, ut viri docti ad Sueton. Calig. 44. docuerunt.*

*Spernere vitam.* M. T. II. p. 127. *ibique audiendis Tyrtaei carminibus ad spernendam pro patria vitam incitarentur.] Lambinus in epistola laudata p. 399. docte disputans de discrimine inter spernere et contemnere, malit contemnendam.*

*Spoliatus cupiditate.* M. T. I. p. 146. *judices — omni cupiditate spoliati] Cupiditate spoliatus pro cupiditatis expers, vereor, ut recte dicatur.*

*STESICHORI vel DIONYSII dictum.* M. T. II. p. 116. *Illud Demetrii ad Locrenses: Faxo, cicadae apud vos humi canant] Stesichoro hoc dictum tribuit Aristoteles Rhetor. II. 21. III. 11. Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν ὅτι οὐ δαί ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμβόθεν ἄδωσιν. Dionysio, Siciliae tyranno, Demetrius περὶ Ἐρμῆν. §. 99. Ac nescio, an Muretus Dionysii pro Demetrii scribere voluerit.*

*Subditum legi.* M. T. I. p. 218. *Sua igitur voluntate subditus legi] Magis Latine scripsisset, sub-*



*jectus legi.* Nam *subditus* pro *parens* melior aetas ignorat. Vid. Sciopium Infam. Fam. p. 118. et Cellar. Cur. Post. p. 343.

*Subjungere.* M. T. II. p. 483. *Subjungam unum item locum*] *Subjungere*, pro *addere*, non est Ciceronianum. Vide Sciopium de Stil. Hist. p. 160.

*Successum cupio.* M. T. II. p. 527. *qui non omnia tibi successa cupiat*] Soloecum loquendi genus, quod hausit e Ciceronis filii epistola ad Tironem. XVI, 21.

SUETONII *reprehensio.* M. T. I. p. 304. *Istos autem satis mirari non possum, qui, ubi de Tacito agitur, Suetonium nominare audent.*] Scio, quid Orator liceat. Sed hoc iudicio nihil iniquius vidi. Suetonium defendit Checcotius in Praef. p. 17. bene iudicans, Muretum in Hieronymi testimonio calumniari.

SUETONIUS LENIS et PAULLINUS. M. T. II. p. 359. *Omnino autem legendum est* (apud Sueton. in Othone) *Paullinus*] *Suetonius Lenis* diversus est a Taciti *Suetonio Paullino*. Mureti errorem notavit Is. Casaubonus ad Sueton. l. c. cap. 10.

*Suscipio in manus.* M. T. I. p. 256. *quum semel in manus suscepissem*] Scripserat, ni fallor, *sumpisssem*.

## T.

*Temere, an secus.* M. T. II. p. 487. *Id num temere, an secus iudicem*] Hoc iure reprehendit Vavassor de vi et usu verb. p. 172. Dicendum erat, *recte, an secus.*

THEUDORUS pro THEODORUS. Doribus propria

forma est. Antipater Athol. ined. *Τίς Θεοδοσίω Τε-  
νεύλας*. Pluscula hujus formae nomina collegit ac-  
curatissimae doctrinae vir, Gisbertus Koenius ad Co-  
rinth. de Dialect. p. 76. A Doribus haec ratio venit  
in consuetudinem Latinorum, poëtarum imprimis,  
apud quos occurrunt, *Theudotus, Theodosius, Theu-  
dulus*, ut in Anthol. Lat. II. 117. p. 249. ubi vide  
Editorem. RUHNKEN. ad *Mall. Theod. de Metris*  
*ed. Heusing* p. 2.

TIMAEUS *historicus*. M. T. II. p. 333. *cum*  
*deprehenderim antiqui scriptoris Timesiae locum e libro*  
*sexto Historiarum*]. Imo, *Timaei*. Locus sumptus  
est est e Scholiaste Aeschinis de fals. legat. p. 751.  
quem nuper edidit J. J. Reiskius.

*Transpositionis remedium*. M. T. II. p. 370. *quod*  
*ut verum est, et*]. *Transpone: quod verum est, ut*  
*et*. — M. T. II. p. 471. *omnium Philosophiae dis-*  
*pendiosa partium compendia*]. *Transpone sic, par-*  
*tium dispendiosa*.

*Tum superfluum*. M. T. I. p. 336. *ne multum*  
*tum quidem temporis ponam*]. *Tum* temere repetitum  
ex voce praecedenti.

*Turbator*. Livius II. 16. *cum pacis ipse auctor a*  
*turbatoribus belli premeretur*. Qua locutione offensus  
Gronovius, *auctoribus belli* legendum conjicit. Gro-  
novianam rationem probans Schellerus, tum non me-  
minerat animadversionis eruditae, qua Ernestus Mis-  
cell. Lips. Vol. II. p. 496. docet, *turbatores belli*  
a Livio dici, qui turbis ciendis bellum commovent;  
eumque loquendi modum a Graeco fonte fluxisse. Ni-  
mirum ut apud Latinos *turbare*, sic *ταράττειν* apud  
Grae-

Graecos est *turbando commovere*, et simpliciter *conci-  
tare*. Ernestus uno defungitur loco Demosth. de Co-  
ron. p. 527. edit. Tayl. ὡς δ' ἀπαξ ἐκ τούτων ἐγκλήματα  
καὶ πόλεμος πρὸς τοὺς Ἀμφισσειεὺς ἐταράχθη. Nos plura  
loca afferamus, ut haec forma tironibus crebritate ex-  
emplorum notior fiat. Plato Polit. VIII. p. 500. Η.  
τούτων πάντων ἕνεκα τυράννη ἀεὶ ἀνάγκη πόλεμον ταρατ-  
τειν. Dio Cass. LXIX. p. 1154. τῷ μῆτε τινὰ πόλε-  
μον ταραξαι. Eandem vim etiam in aliis locutionibus  
habet. Sophocles Antig. 793. σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀν-  
δρῶν ξύναιμον ἔχεις ταραξας. Euripid. Antiope apud  
Valckenar. Diatr. in Euripid. cap. 8. p. 80. ταρασσων  
μηδὲν ὧν πόλις νοσεῖ. Idem Bacch. 796. Θύσω φόνον  
γε θήλυν, ὥσπερ ἀξίαι, πολλὴν ταραξας ἐν Κιθαιρώνος πτυ-  
χαῖς. ubi recte cepit Musgravius. Plutarch. Themis-  
tocl. p. 114. Α. ἐγκλήματα συγγενικὰ καὶ δικὰς τῷ  
ἀνθρώπῳ πρὸς οἰκείους τινὰς ταραξεν. — *Ex Praef. ad  
Schell.*

## V.

*Vera* et *Utra* permutantur. T. II. p. 510. *Veram  
facti speciem*] *Veram* scripsimus pro *uiram*, quod in  
Editione August. est.

*Verator*. M. T. II. p. 450. *de quo verator,  
aut conjector aliquis judicabit.*] *Verator*, suspectum  
vocabulum.

*Victoria* et *Historia* confunduntur. M. T. III. p.  
525. *Quae res magno ad victoriam adjumento fuit*]  
Sic scripsi pro *historiam*, quod Editor Ingolstadiensis

dedit; qui nec aliis multis locis Mureti manum assecutus videtur.

*Victoria nobilitatus orbis terrarum. M. T. I. p. 49. victoriis totus terrarum orbis nobilitatus est;*] Locus aliquis, ante obscurus, victoria nobilitatur, ut apud Cicer. Partit. 10. loci obscuri, an rerum gestarum vestigiis nobilitati. Sed quis ferat, *victoriis orbis terrarum nobilitatus* (\*)?

## X.

*XENOCRATIS Axiochus. M. T. I. p. 240. Nam et Platoni quaedam tribuuntur, quae Platonis non sunt, ut Axiochus sive de morte, qui Xenophanis Platonici est]* Imo, *Xenocratis*, cujus librum *περὶ θανάτου* laudat Diog. Laërt. IV. 12. ubi vide Menagium (†).

[(\*) Cf. tamen Tac. H. I. 2. FRIED.]

[(†) Sed hujus non esse dialogum Axiochum, nuper idoneis rationibus ostendit Juvenis Doctiss. Dion. Wijnpersius, Dissert. de Xenocrate Chalcedonio, P. II. C. V. §. 2. p. 193 sqq. Antea obiter monuerat Cl. Wytttenbach, Disp. Teyler. de Anim. Immort. Sect. V. exeunte, sive Opusc. T. II. p. 599 sq.]

[INSCRIPTIO SEPULCRALIS  
GENTIS DOUSAE,

quae in Tabula addita legitur, descripta est ex Monumento Sepulcrali, a. MDCCXCII posito in Aede Sacra pagi Nordovici, prope Lugdunum Batavorum. Eam partim *D. Ruhnkenium*, V. Cl., partim ipsius collegam eruditissimum *J. G. Te Waterum*, auctorem habere, ab hoc venerando sene, quem eandem ante aliquot annos publici juris fecisse in *Historia Foederis Nobilium Belgarum* Vol. IV. p. 337. recordabamur, accepimus. Ipsum adeo Ruhnkenii autographum, tremulâ manu scriptum, videndum nobis obtulit *Vir Ampliss. Doctiss. idemque humanissimus H. van Roijen*. Haec tantum, illustrandi gratia, addimus: primum, verba HAVETE. FELICISSIMAE. ANIMAE, urnae sepulcrali, Monumento superpositae, inscripta esse: tum, eo fere medio, literis omnium maximis, legi SACRUM MAJORIBUS: deinde, paulo infra, imaginem conspici JANI DOUSAE in marmore, circumscriptis, quae in Tabula sequuntur, JANUS. DOUSA. NORDOVIX. ANTE. OMNIA MUSAE: denique verba omnium postrema, ABIIIT XXVII. JULII MDCCCX, peculiari ornamento incisa, et ipsa de auctoris admonitione sic addita videntur, praesertim cum rarius istud ABIIIT, pro OBIIT, manifesto referatur ad proxime praecedens ABITURUS. ]

INSTRUMENTO SEPTENTRIONALIS  
GENTIS DONSAR

que in Tabula adhibita legimus, descripta est ex  
Museum hujusmodi, a meo exco. possit in Aulo  
Parsi par. N. 1000, hinc Lugdunum Batavorum.  
Fam. par. D. R. 1000, V. Cl. par. 1000  
collegit eruditissimum J. G. T. W. 1000, auctorem  
habere, ab hoc venerando sp. quam exultat ante  
aliquot annos publici juris fecisse in Historia F. 1000  
Nobilium Belgarum Vol. II. p. 237. recedendum.  
acceptum, hinc adhibita antographum, us-  
que in Tabula adhibita nobis oblati VII. 1000  
hinc tabula, hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
hinc tabula, hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
verba revertit. P. 1000. ANIMA, hinc se-  
p. 1000. hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
tum, eo hinc medio, hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
ORUM. hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
conspicit hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
que in Tabula sequuntur, hinc hinc hinc hinc hinc  
VIX. ANTE. ORUM. hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
postquam, hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
omnino hinc, et hinc de auctoris admodum sic  
adhibita videntur, hinc hinc hinc hinc hinc hinc  
pro orit. hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc

ANTURUS.]